29,832/B.

F. III.

18/L

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30513674

JOANNIS HUXHAM

MEDICINÆ DOCTORIS,
REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS
ET COLLEGII REGII MEDICORUM
EDIMBURGENSIS SOCII

LIBER
DE FEBRIBUS
ET ALIA OPUSCULA VARIA

CURANTE

GEORGIO CHRISTIANO REICHEL

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE AC FACULT.
MEDIC. LIPS. ASSESSORE.

EDITIO PRIMA VENETA.

VENETIIS, MDCCLXV.
Apud LAURENTIUM BASILIUM.

Superiorum Permiſſu, ac Privilegiis.

D. Luigi Longandi

55350

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

MONITUM

BIBLIOPOLÆ VENETI.

EDitis elapſo anno meis typis Obſervationibus de Aere & Morbis Epidemicis a 1737. ad 1748. Celeberrimi Viri Joannis Huxham M. D. Regiæ Societatis Londinenſis; & Collegi Regii Medicorum Edimburgenſis Socii juxta poſtremam Londinenſem editionem anni 1752., curavi, ut in latinam linguam nitide verteretur etiam Tractactus de Febribus ejuſdem celeb. Auctoris. Cumque ad me interim delata eſset completa Operum omnium Joannis Huxham editio Lipſienſis, cui præfuit vir clar. Georgius Chriſtianus Reichel Philoſ. & Medic. D. ac Facult. Medic. Lipſienſis Aſſeſsor, in qua non Obſervationes tantum de Aere &c. ſed & Liber de Febribus, ac cætera Opuſcula varia addita ſunt; pergratum futurum judicavi Italis Medicis reliqua omnia, quæ mihi deerant Huxhamiana Opera, juxta Lipſienſem editionem publici

juris facere, ac Domini Reichel quoque eruditiſſimam præfationem præmittere, ne quid a medicæ praxis cultoribus deſiderari poſse videatur. Valete.

LECTORI BENEVOLO ET ÆQUO

S. D.

GEORGE CHRIST. REICHEL.

OFfero Tibi, LECTOR BENEVOLE, *virum natione Anglum, auctorem præſtantiſſimum, naturæ indagatorem ſagaciſſimum, medicum ſapientiſſimum prudentiſſimumque*, HUXHAMUM. *Quis enim eſt, qui vel a limine, quod ajunt, hanc artem noſtram ſalutaverit, quem magnum illud* HUXHAMI *nomen fugiat? Quamquam vero hujus nomen fere neminem latet, ejus tamen ſcripta apud populares edita paucorum Germanorum in manibus verſantur & rebus ibidem occurrentibus iiſque eximiis carendum eſt plurimis. Quorum præſtantiam ſi Tibi velim commendare, idem fecero, quod qui hederam vino ſuſpendunt generoſo & bono. Ne autem omni omnino teſtimonii laude deſtitutum & veluti indotatum hunc ſcriptorem emittam, audias velim, quid in commentationibus Societatis*

Regiæ Anglicanæ philoſophicis (*) *de obſervationibus ipſius de aere & morbis epidemicis judicatum ſit, ubi* THOMAS STACK *M. D. & Soc. Reg. Socius ita de iis pronunciat, ut hunc de morbis epidemicis librum omnium recentiorum ejuſdem argumenti optimum eſſe cenſeat; & paulo poſt, ubi totius operis rationem methodumque, qua hæ obſervationes propoſitæ fuerunt, declaraverat, his omnibus, inquit, (loquitur autem de* HUXHAMO) *morbos graſſantes vel potius epidemicos, methodumque illis medendi ſubjungit, & ſimul egregias medicas obſervationes, tam theoreticas quam practicas de rebus novis vel minus frequentibus affert. Quemadmodum vero ejus præſtantiam & ſcientiæ copiam non poteſt non admirari ac magni facere, quicunque ejus ſcripta cognovit, ita in primis* HUXHAMUM *nemo non æſtimat, niſi qui ignorat, quanta cum ſolertia quantaque induſtria ejus obſervationes de aere & morbis epidemicis factæ & compoſitæ ſint, quantoque cum judicii acumine & quam exquiſita artis notitia reliqua ſua monumenta conſcripſerit ex plurimis eruditæ antiquitatis ſcriptoribus, in primis* HIPPOCRATE, CELSO, ARETÆO *aliiſque collegerit variiſque exemplis illuſtraverit. Ita enim egit, ut non ſolus ſibi ſaperet, ſed aliorum quoque illorumque optimorum in arte ſalutari virorum ſententias & commemorandas & ad trutinam rationis & experientiæ exigendas arbitraretur, ſemper hac uſus modeſtia, ut, licet ubique non tam ſcriptorum auctoritatem, quam generis humani ſalutem ob oculos haberet, nullius tamen merita deprimeret & vituperaret, multo magis extolleret ea atque laudaret. Cum quoque huic diligen-*

(*) An. 1738. Num. 451. p. 429. ſeq.

ligenti rerum naturalium indagatori in oppido Ply- muthi, *ad littora alti Oceani ſito medicinam exercenti, plura morborum genera occurrerent rariora, ea non egregie ſolum deſcripſit, ſed & methodum illis medendi accuratius tradidit. De quibus omnibus plura proferrem, niſi Te,* LECTOR BENEVOLE, *hæc ab ipſo* HUXHAMO, *quam a me diſcere mallem. Eadem vero inprimis fuere, quæ me impellerent, ut præſtantiſſimi hujus ſcriptoris libellos non ubique obvis colligerem atque conjunctim ederem; præſertim cum* KRAUSIUS *bibliopola Viennæ clarus, vir boneſtus & ſenex quoque juvandæ rei literariæ cupidus, me adiret peteretque, ut omnia* HUXHAMI *ſcripta collecta digererem, ut ipſe aliquando in lucem edere poſſet.*

Verum plura occurrebant obſtacula, quam ab initio exiſtimaveram. Cum enim plurima ejus ſcripta diverſis voluminibus diſtracta, diverſiſque temporibus edita, haud pauca quoque Societatis Regiæ Anglicanæ commentationibus philoſophicis inſerta eſſent, omnia illa prius colligenda & deſcribenda erant, in quo haud parum moleſtiæ nobis devorandum fuit. Accedebat alia difficultas, eaque haud ſcio, an major, quæ ab ipſius linguæ, de qua multa penſa convertenda nobis erant, indole atque ingenio proficiſceretur. Etenim partim verba occurrebant, Anglicæ linguæ, ut fit, ita propria & peculiaria, ut latinitatis uſus vix admittere ea videretur, partim tota orationis forma erat ejuſmodi, ut, antequam ad ipſum laborem accederemus, familiari qnaſi conſuetudine cognoſcenda & penitus imbibenda eſſet.

Ordo, quem in deſcribendo hoc opuſculo ſecuti ſumus, hic eſt. Obſervationes de aere & morbis epidemicis præmiſimus, his ſubjecimus librum de

Febribus, quem tandem opuſcula varia, partim ſeorſim edita, partim in commentationibus philoſophicis diſperſa & hic collecta excipiunt. Hic vero locus eſt, ut non minus favorem ſingularem Viri Magnifici D. D. LUDWIGII, *Patroni maxime colendi, laudibus juſtis extollam & gratias ei pro benevolentia iſta eximia agam, qua, ut ex ejus Bibliotheca locupletiſſima commentationes modo commemoratæ in uſus meos cederent, liberaliter indulſit; quam ut a* LECTORE BENEVOLO *magnopere petam, ut, ſi ipſi plura, quam hoc opuſculum complectitur,* HUXHAMI *ſcripta nota ſint, ea vel nobis indicet, vel quod ad gratum animum eo efficacius erit, nobiſcum communicet.*

Atque utinam ab aliis erroribus haud majori cum difficultate cavere nobis potuiſſemus, quorum tamen veniam, ſperamus fore, ut eo facilius impetremus, cum & ipſi volentes noſtroque conſilio neminem lædere, errorem ſuum exprobare nemini, neque in aliorum merita invehere conati ſimus. Præter ea vero idonei harum rerum arbitri eo æquius nobiſcum agent, quod per totius operis decurſum tanta negotiorum & multitudine & varietate fuimus perturbati, ut non una ſerie & juſto otio hanc telam pertexere potuerimus, ſed ſæpius filum abrumpere & intermiſſum laborem repetere fueri us coacti.

PRÆFATIO.

OBſervationum de aere & morbis epidemicis ab anno 1727. uſque ad finem anni 1737. ante decem circiter annos parvum edidi volumen; & nunc aliud ſimilium obſervationum ab anno 1738. ad finem anni 1747. promulgavi: in quo morborum tunc temporis graſſantium me aliquo modo ſcrupuloſius & accuratius diſquiſiviſſe hiſtoriam methodumque illis medendi, exiſtimo. Cæterum, cum, ſeriem obſervationum haud parum interrupiſſet, ſi peculiarem de variorum ibidem curſorie recenſitorum morborum natura & medela aggredi voluiſſem diſquiſitionem, illam hiſce operibus ſequentibus reſervavi; ex quibus ille, quem ego adhibui, cogitandi agendique modus, quantum ad febres generatim illaſque ſpeciatim recenſitas pertinet, plenius apparebit: atque ego ſpero, fore, ut commodo juniorum medicorum hæc inſerviant, cum illa opuſcula, ex larga ſatis atque diuturna enata ſint experientia, obſervationeſque maxima cum cura & diligentia fuerint factæ. Sit vero, qualis velit, eventus, hæc tanquam honeſta conamina ſinceri Patroni non artis ſolum ſuæ,

ſed & omnium hominum ſuſceptum iri, mihi ipſi polliceor.

In ſequentibus operibus ſæpius ad bina iſta obſervationum reſpexi volumina, & in horum altero frequentius retuli hæc opera; ita, ut hac ratione, alterum ex altero mutuo illuſtrare, operam navarem.

Licet ubique ſemper ad facta & repetitam experientiam attenderim, (&, ubi ex his colligendo judicavi, ad convenientiſſimam reſpexerim analogiam), attamen meam ſcientiam & exercitationem auctoritate veterum, HIPPOCRATIS præcipue confirmavi. Quod quoque eo lubentius feci, cum, quantum utilitatis in ſtudiorum meorum & exercitationis curſu mihi attulerint, haud ignorarem; ideoque eo reſpectu factum eſt, ut crebrior illorum uſus medicis junioribus commendetur. Quamquam vero meum conſilium hac in re fortaſſe non multum ponderis habet; ſpero tamen, fore, ut maximorum in ſcientia noſtra virorum judicia inter ſe convenientia juſte recteque conſiderentur.

Equidem dicere vix audeo, ſine magni hujus medicinæ oraculi conſultatione veterumque lectione medicum bonum eſſe poſſe neminem; id vero pronunciare non erubeſco, quemlibet ita agentem medicum fieri multo meliorem; atque paucos vel nullum, qui illis non ſtuduit, aliquam inſignem in hac ſcientia unquam agere perſonam, exiſtimo. — HIPPOCRATEM profecto verum medicinæ parentem, & ſciagraphiam ab ipſo adumbratam tanquam omnis veræ & ſolidæ medicinæ *baſin* æſtimarunt: illamque conſtanter ſumma veneratione dignam cenſuerunt omnes ejus ſucceſſores, ad minimum omnes illi, qui de his

rebus

rebus juſtum ferre valebant judicium. — Cujus rei ratio manifeſte hæc eſt, quod is naturam maxima cum cura & aſſiduitate diſquirens non ſolum imitatus, ſed quoque illam tam accurate ſequutus fuerit, ut ejus obſervationes omnibus ſubſequentibus temporibus optime accommodatæ ſint inventæ.

Non minus vero in medicina, quam in variis aliis artibus veterum ſtudium plurimam affert utilitatem, & hoc ita eſſe, omnes fatentur. — Quicunque excellere cupiebat in arte poetica, ſculptoria, ſtatuaria, cæteriſque, illum ſemper conſulere oportebat veterum in ejuſmodi artibus artificum opera, ut perfectiſſima archetypa & accuratiſſimos naturæ imitatores: indeque tam in arte poetica, quam in medicina illud HORATII valet conſilium:

— — — — Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Veteres profecto non viri erant ſolum magni ingenii, ſed quoque maximæ diligentiæ & indefeſſæ applicationis (ab hiſtoricis romanis in deſcriptionibus magnorum eorum virorum ſemper demonſtratur *incredibilis induſtria, diligentia ſingularis*;) qui oculos rebus, de quibus agere volebant, conſtanter affigebant & nobis veram imaginem nudamque rerum exhibebant veritatem; quæ omni affectato ornatu atque excogitato veſtitu luxuriantis noſtræ ætatis ingenii eſt pulchrior: quanto deſcriptio eſt accuratior, tanto excellentior: Quid juvat ſimulacrum, niſi cum archetypo conveniat? — Quemadmodum na-

naturam ipſam quo attentius contemplamur, eo magis admiramur, ſic is, qui ipſius faciei imaginem nobis exhibet veriſſimam, artifex ſemper æſtimabitur maximus. Qua in re HIPPOCRATES adeo excelluit, ut ab omnibus circumjacentibus gentibus unanimi applauſu ſit exceptus; quid? quod illi ipſi ipſum cultu proſequebantur divino: hac enim ratione tam morbis mederi, quam illos cognoſcere & deſcribere aptus reddebatur.—Quod ſi hujus methodum medici poſt illum ſtricte ſecuti eſſent, artem ſalutarem longe citius his temporibus ad majorem perfectionis gradum, quam nunc obſervatur, evectam fuiſſe, perſuaſus ſum certiſſime: quod neutiquam pari celeritate factum eſt cum variis illis magniſque inventis, quæ poſt ea (hoc in primis atque præterito ſeculo) in Philoſophia naturali, anatome, *materia medica* & chemia reddita fuere.—At enim vero ut homo natura mortalis eſt; ſic fieri nequit, ut ars illum immortalem efficiat; id autem certiſſime fieri poteſt, ut illud paulo exactius & accuratius, quam nunc invenitur, ſuppleatur.

A GALENI temporibus & profecto longe ante ea, vanæ hypotheſes, novitatis cupido, methodi & ſectæ medicinæ ſæpius ejus profeſſores ad devia duxerunt & ipſis, ut errores committerent, occaſionem dederunt: atque formam iſtam adverſam nobis adhuc communem eſſe, ſatis notum eſt. Nihilo minus, omnem ſobriam, veram & rationalem medicinæ exercitationem ſemper cum HIPPOCRATIS dogmatibus fuiſſe conſentaneam, eſt fatendum; ut eruditiſſimus Dr. BARKER in noviſſimo ſuo tractu copioſe demonſtravit, ad quem pariter, ac ad Dr. GLASS egregios de ſche-

mate

mate praxeos HIPPOCRATIS commentarios amando lectores.

Tantum abeſt, ut theoriam rationalem in medicina reprehendam, ut potius, illam omnis veræ & rectæ exercitationis eſſe baſin, exiſtimem; aſt illa eſſe debet, ut HIPPOCRATES ait κατὰ φυσιν θεωρίων (*) —

Quod ſi unquam medicina ſumere debeat incrementa, id tali ratione, neque fictis hypotheſibus neque temeraria atque imprudenti Charlataneria fieri oportet. Itaque diligens veterum diſquiſitio & plenaria legum œconomiæ animalis cognitio, prouti a nonnullis noſtrorum medicorum prudenter proponuntur, cujuslibet medici eſſet debet ſtudium. — Aſt plures multo promtius prorumpunt in orbem. — Magnum aliquem virum fautorem (aut, quo multo melius, magnam aliquam matronam fautricem) habere, ſtultum, aut paraſitum inter turbam ſplendido cum ornatu agere, & ſatis impudenti fronte eſſe; hæc ſunt proprietates, quæ Doctoris titulum efficiunt, idque in artis contumeliam & ſocietatis humanæ detrimentum.

CELSUS jure appellatus eſt HIPPOCRATES *latinus*, quoniam non minus innumera loca ex divino ſene in ſua tranſtulit opera, quam quod generatim ejus methodum & medicinam eſt ſecutus. Ejus latina oratio eſt elegantiſſima, ejus medicina & chirurgia mirum in modum uſta. (**)

HIPPO-

(*) De victu acut. Sect. XLVI. Edit. Lindeni.

(**) Quanquam multum abeſt, ut credam, CELSUM fuiſſe medicinæ practicum, in conſueto verborum ſignificatu, ut ASCLEPIADES, THEMISON & CASSIUS erant; attamen illi certiſſime bene ſtuduit & præ-

cipuis

HIPPOCRATES tacite nemo magis eſt ſecu-
tus

cipuis ac melioribus tunc exſtantibus medicinæ, in primis vero chirurgiæ ſcriptoribus eſt uſus, forſan ut Philoſophus, cujus labor erat ſola naturæ diſquiſitio, more veterum ſapientum, utpote de quibus CELSUS ipſe ait, — „ *medendi ſcientia ſapientiæ* „ *pars habebatur, ut & morborum curatio & rerum* „ *naturæ contemplatio ſub iisdem auctoribus nata ſit,* „ - - *ideoque multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepimus.* „ Atque ea propter a COLUMELLA omni jure appellatur *univerſæ naturæ vir prudens:* ipſe enim profecto non de medicina ſolum, ſed & de agricultura, morbis animalium cicurium cæteriſque ſcripſit.

Ipſum quoque in medicinæ & chirurgiæ exercitatione fuiſſe verſatum, ex ejus libris *de Medicina* ſatis dilucide apparet, in quibus admodum ingenioſe morbos methodumque illis medendi, in operationibus vero chirurgicis accuratiora & ſpecialia præcepta de minutiſſimis etiam rebus in faſciarum applicatione refert; ita ut admodum probabile eſſe videatur, illum ipſum vere iſtam exercuiſſe, aut ad minimum talibus operationibus ſæpiſſime adfuiſſe.

Præter ea materiam medicam & componendi methodum ipſe optime cognoviſſe, videtur, & quoque ſollicite ſingularia huc ſpectantia præcepta accuratamque de ponderibus deſcriptionem eorumque ſubdiviſionem exhibuit, ſecundum quæ remedia ut componerentur, voluit.

Hujus operis præcipua momenta ex celeberrimis ipſi prægreſſis auctoribus illum collegiſſe, profecto aſſerere licet, — proculdubio hoc fecit; variis enim in locis ſuam opinionem & conſilium interpoſuit, ita ut ſæpiſſime auctorum adeo ab ipſo amatorum HIPPOCRATIS & ASCLEPIADIS ſententiæ & præceptorum contrariam aſſumſerit partem.

Tandem non poſſum quin exiſtimem, attentum lectorem in CELSO magnum locorum numerum reperturum eſſe, qui ipſi perſuadebunt, ut credat, hunc auctorem in medicinæ & chirurgiæ exercitatione fuiſſe verſatiſſimum. — Plurima illorum doctiſſimus D. JACOBUS GRIEVE in ejus CELSI translati retulit præfatione, & multo plura notare ut mihi li-
citu

tus, quam ARETÆUS(*) CAPPADOX, ita ut ipſa ejus verba ſtylumque imitatus ſit. — Cujus morborum

citum ſit, peterem; ego vero, ne tædium pariam, evitans tantum numerum paginarum ex ALMELOVENII editione CELSI proponam, (cum qua *Patavina* a VULPIO 1722. edita in omnibus convenit) ubi loca ad hoc conſilium ſpectantia inveniri poſſunt; ſi neceſſe fuiſſet, multa addere potuiſſem plura.

Pagina 4. 19. 26. 29. 30. 81. 89. 90. 91. 96. 111. 122. 129. 140. 144. 150. 152. 159. 165. 176. 181. 194. 197. 200. 204. 227. 230. 237. 242. 249. 263. 271. 296. 318. 332. 338. 360. 364. 393. 405. 406. 408. 409. 416. 426. 440. 441. 446. 458. 477. 509. 512. 517. 528. 530. 546.

(*) ARETÆI ante AETIUM AMIDENUM in centuria quinta mentionem feciſſe neminem, ſatis mirandum eſt; (in libro *Euporiſta* dicto, quod DIOSCORIDI adſcribitur, quidem nominatur, hunc vero tractatum verum atque genuinum hujus auctoris opus eſſe, credunt pauci): Neque GALENUS, neque CÆLIUS AURELIANUS, neque ORIBASIUS aliquam ejus fecerunt mentionem; licet tam ſingulari ratione omnes notatu dignos medicos, & antea cum ipſis viventes enumeraverint. Nihilo minus magnus admodum practicus, magnæque eruditionis & judicii vir fuiſſe, videtur ARETÆUS. Qui ſatis ſingularem elegit ſtylum, dum variis verbis obſoletis, HOMERI HIPPOCRATISQUE *phraſibus* & dialecto jonica utitur; quæ eo tempore, quo ipſe ſcripſit, prorſus fere erant inuſitata: Nam, non obſtante VOSSI effato, procul dubio haud prius quam poſt NERONIS tempora ſcripſit. — Cuncta hæc ipſum notatu dignum reddidiſſe, exiſtimandum eſſet, inprimis, ſi Romæ aut in ejus vicinia medicinam exercuit; id, quod haud improbabile eſſe videtur, cum ægrotis vina *romana*, ſpeciatim *Falernianum*, *Surrentinum* & illud *Fundi* ſuaſerit.

Porro autem GALENUS & AETIUS varia ex ARCHIGENE referunt loca, quæ ſenſu, doctrina, methodo medendi, modoque expreſſionis plenarie cum eo, quod in ARETÆO invenitur, conveniunt, præter id,

borum deſcriptiones admiratione ſunt dignæ me-dendique methodus quam maxime rationi con-ſentanea.

GA-

id, quod hic illa *jonica* dialecto propoſuit. Ambo hi ſimul ſingularia quædam commendant remedia, quæ vix in ullo alio reperiuntur, in primis uſus *Cantharidum* externus; qui in nullo alio ante illos auctore, CELSO excepto, occurrit.

Numne vero ARCHIGENES ſua ex ARETÆO hauſit, num vero hic ex illo?

ARCHIGENEM *Romæ* magna cum fama artem exercuiſſe ſalutarem, celeberrimum medicum & ſcriptorem fuiſſe res eſt certa, atque ut de tali loquuntur JUVENALIS, GALENUS, CÆLIUS, ORIBASIUS, AETIUS cæterique. Qui accurate a GALENO dijudicatus, nonnunquam caſtigatur, nonnunquam commendatur, nunquam vero ut merus æſtimatur compilator. — ARETÆUS e contrario a nemine, quam ab AETIO & PAULO ÆGINETA nominatur: quid? quod mirum eſt, cur ne in PHOTII quidem Bibliotheca reperiatur. — Hoc profecto mirabile & explicatu eſt difficile, atque facile alicui perſuadere poteſt, ut credat, ARETÆUM ſua ex ARCHIGENE deſumpſiſſe aut potius illum exſcripſiſſe, novamque formam induiſſe, dum *dictione* HIPPOCRATIS & *jonica dialecto* illa propoſuit. — Fortaſſe ARETÆUS aliquo modo ita agebat cum ARCHIGENE, prouti paulo poſt cum SORANO egit CÆLIUS AURELIANUS: Sed, ſi res ita ſe habet, ARCHIGENES multo melius ab iſto græcus, quam SORANUS a CÆLIO latinus fuit redditus (vel, ut hic loquitur, latinizatus fuit.) His præſuppoſitis, nos vina romana in ARETÆO commendata invenire, mirum eſſe haud debet, licet ipſe artem ſalutarem exerceret & quoque ſcriberet *in Cappadocia*, aut ullo alio ab urbe Roma remoto loco longiſſime. — Sed ad hæc mea me tantum ducit conjectura. Res quacunque ratione ſe habeat, ARETÆUS nobis exhibet præſtantiſſimum opus, accuratiſſimas morborum deſcriptiones, & generatim methodum medendi convenientem admodum & rationalem; ideoque, ejus opera tam mutila ad nos perveniſſe, dolendum eſt maxime.

GALENUS ab omnibus illis, qui laborioſiſſimum & accuratiſſimum HIPPOCRATIS commentatorem cenſulere cupiunt, legi debet: utpote qui immenſo pulchrarum utiliumque obſervationum numero in omnibus medicinæ partibus abundat, & quod præcipuum eſt, nobis ſingularem pulſus ejuſque differentiæ & ſignificationis exhibet deſcriptionem: illum *peripatheticis* & *periphraſi* nimium indulgere dolendum eſt. Operum ejus epitomen prudentem procul dubio magno cum applauſu exciperet orbis eruditus.

Quod ſi CELSI ſtylo ſcripſiſſet CÆLIUS AURELIANUS, vix ſatis æſtimandus fuiſſet auctor. Cæterum ipſi non minus totam Methodicorum doctrinam, præcipue prudentis SORANI, quam quoque veterum de variis morbis ſententias omnino debemus, quæ alias prorſus non ad nos perveniſſent. Præter barbariſmos nihilo ſecius ejus morborum deſcriptiones ſunt admodum concinnæ & admirabiles.

Veterum alium quendam ſpeciatim magis commendare vellem, iſque eſt ALEXANDER TRALLIANUS, qui plurimis ſane in rebus HIPPOCRATEM & GALENUM ſecutus eſt, & quibus generatim epitheton addit θειοτάτοι: nihilo tamen ſecius immenſum numerum propriarum utiliumque obſervationum continet, variis egregiis abundat remediis, & methodo vere rationali & concinna ſcribit.

In ſequenti opere non tam ad morborum, de quibus egi, particularem methodicamque diſſertationem reſpexi, quam potius parvam ideam atque neceſſarias obſervationes & de natu-

natura & medela eorum exhibui; hoc enim opus nimium auxiſſet, & vereor, ne nunc quoque hoc non parum reddat faſtidioſum.

Paucas aut nullas adjeci *formulas* vel *præſcriptiones*; nam, ut HIPPOCRATES loquitur, is, qui morbum cognoverit, cognoſcet etiam, quid illi mederi conveniat. Quod ſi medicus ſcit, num ſtimulantia aut anodyna, relaxantia aut adſtringentia, attenuantia aut incraſſantia indicentur, is haud neſcire poterit, quo modo convenientibus ex late patente *materia medica*, qua nunc abundamus, utatur remediis. — Illum pauca quædam præſtantiſſimorum de quolibet genere ad ejus uſum ſeligere illiſque inhærere, non vero divagare oportet in immenſam *farraginem*, cui nonnulli tam avide indulgent: ita agendo brevi veras eorum virtutes & effectus cognoſcet, & facile morborum ſymptomata ab illis, quæ remediis excitata fuerunt, diſtinguere valebit. — Ego profecto & in exercitatione medicinæ privata, & in ſcriptis nonnullis in publicum editis talem rerum ita inter ſe aggregatarum vidi commixtionem, ut APOLLINI ipſi difficile fuiſſet inventu, quemnam in finem hæc fuerint præſcripta: — Niſi vero ſæpius tales morbi *complicati* (& *contra indicantia* quoque interdum) occurrunt, quæ aliquam *combinationem* & variorum medicamentorum *commixtionem* exigant.

Parum vero *formula* quædam aut *recipe*, ſic dictum, prodeſſe poteſt. — Rhabarbari grana viginti vel triginta aliis non minus,

quam dupla Jalappæ quantitas aliis alvum laxabit: Extracti *Thebaici* granum unicum, aut tincturæ guttulæ viginti tam alterum, quam doſis ejus tripla alterum reddet ſomnolentum. Siquidem non ægrotorum ſolum conſtitutio & vitæ ratio, ſed etiam morbus ipſe in præſcribendis formulis conſiderari debent. Homo ſobrius temperans, vel qui præcipue lacte, vegetabilibus, & aqua vivit, nulla ratione talia calida fert remedia, compoſitas aquas & ſpiritus, quæ præſertim illis conveniunt, qui large victu lautiore & ratafia delectantur. Sed hoc clare patet, indeque concludendum eſt, nos ſemper a parva aut valde moderata omnium generum doſi incipere, & non remedia ſolum, ſed & potum atque diætam ægrotorum prudenter ordinare, debere. Profecto enim non minus ea, quibus unciarum aut librarum pondere utimur, quam ea, quæ ad grana aut ſcrupulos aſſumimus, nos afficere oportent. HIPPOCRATES atque veteres his præcipue in rebus maxima cum cura atque in *regimine* præſcribendo admodum ſcrupuloſe verſabantur: ac hoc quoque reſpectu medici juniores bene agerent, ſi illum conſulerent. — Ad illos quod attinet, qui neque legere, neque cogitare, ſed tantum circumforaneorum more medicinam exercere & forte fortuna præſcribere cupiunt: his ſerio ſuadeo, ut ad minimum bene perpendant quintum præceptum.

IN-

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

De Simplici, compoſita magis, & inflammatoria Febre. pag. 1

CAPUT II.

De Febribus intermittentibus. 15

CAPUT III.

De Solidorum ſtatu. 23

CAPUT IV.

De Fluidorum ſtatu. 30

CAPUT V.

De Sanguinis reſoluto, & putrido ſtatu. 34

CAPUT VI.

De Differentia inter lentam nervoſam, & putridam malignam Febrem. 61

CAPUT VII.

De Febribus lentis & nervoſis. 63

CAPUT VIII.

De Putridis, malignis, Petechialibus Febribus. 78

DIS-

DISSERTATIO.

De Variolis. 105

DISSERTATIO.

DE

Pleuritide, & Peripneumonia.

CAPUT I.

De Ventorum tempeſtatumque vi hos morbos progignendi. 140

CAPUT II.

De Peripneumonia & Pleuroperipneumonia. 146

CAPUT III.

De Peripneumonia notha. 184

CAPUT IV.

De Pleuritide. 195

IN-

INDEX OPUSCULORUM.

I

Partium genitalium in muliere ſtructura præternaturalis. 219

II

Obſervationes duæ rariores. 224

III

Diſſertatio brevis de Variolis epidemicis anomalis. 232

IV

Diſſertatio de Aurora Boreali. 250

V

Duo caſus rariſſimi. 257

VI

De Morbo Colico ſingulari. 261

VII

Diſſertatio de Polypis. 265

VIII

VIII

Nautarum ſanitatem conſervandi methodus. 269

IX

Diſſertatio de Angina maligna. 274

X

Obſervationes Medicæ & Chemicæ de Antimonio. 315

NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Roſa Lanzi.* Inquiſitor Generale del Santo Officio di *Venezia*, nel Libro intitolato *Stampato Huxhami Joannis Opera omnia continentia Obſervationes de aere, & morbis epidemicis, librum de febribus, & opuſcula varia, curante Georgio Criſtiano Reichel, &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi concediamo Licenza a *Lorenzo Baſegio* Stampator *di Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Agoſto 1764.

(
(Alviſe Vallareſſo Riff.
(Franceſco Moroſini 2°. Kav. Proc. Riff.

Regiſtrato in Libro a Carte 210. al Num. 1232.

Daviddе Marcheſini Segr.

7. Agoſto. 1764.

Regiſtr. dal Magiſtr. Eccell. contro la Beſtemia.

Franceſco Gadaldini Segr.

LIBER DE FEBRIBUS EARUMQUE VARIIS GENERIBUS.

CAPUT I.

De ſimplici, compoſita magis & inflammatoria febre.

BOERHAAVIUS, vir ille magnus, in egregiis *Aphoriſmis de cognoſcendis & curandis morbis* a ſimplicis fibræ morbis facit initium; atque ſane in qualibet ſcientia ad ſolidam aliquam perveniendi cognitionem, hæc unica eſt methodus, ut a veris illius ſcientiæ incipiamus elementis; quicquid enim eſt ſimpliciſſimum, illud facilius intelligitur quam magis compoſitum: talem diſpoſitionem naturali ordine ſequuntur methodus & perſpicuitas.

Itaque in febrium natura exploranda ſimpliciſſimam primum conſiderare, videtur eſſe convenientiſſimum. Ergo fingamus hominem tam ſolidorum, quam fluidorum ratione perfecte ſanum, violenti quodam exercitio, ut curſu aut alio ſimili adſtrictum: Quod ſi diu continuatur, ſanguinis velocitatem, frictionem & calorem valde augebit, qui naturalem inſigniter ſuperans, *ſtatus* appellatur *febrilis*. — Itaque hæc eſt febris ſimplex, nulla alia a re quam a motu ſolidorum verſus fluida horumque reactione verſus illa orta; quæ ſubito, quam primum motus aut violentum ceſſat exercitium, remittit.

Fingamus porro alium perfecte ſanum hominem aeri frigido atque humido expoſitum, quo ſingulari ratione ejus ſupprimitur perſpiratio; inde ſequetur aucta humorum quantitas & vis natura illam propellendi & obſtructiones removendi major: inde ſequetur habitus febrilis, qui nihilo minus ſæpius grato lectuli calore relaxante aut tali alia re naturæ conamina adjuvante, ſubito removetur.

Tertius quidam ſimiliter bonæ corporis conſtitutionis copioſe nimis vinum aut alios ſpirituoſos liquores bibit, qui humorum quantitatem augendo ſimul qualitate ſua ſtimulante ſanguinis motum augentes febrim excitant, quæ ſimili modo abſtinentia cæterisque ceſſat.

In quibus omnibus tantum ſimplex *Ephemera* vel brevis excitata fuit febris. — Quod ſi autem primo in caſu ita violenter agitatus & rarefactus eſt ſanguis, ut inde magno ejus *impetu* & vaſorum dilatatione nonnulli globulorum rubrorum propulſi ſint in *arterias ſeroſas*; obſtructio efformabitur inflammatoria: prouti in exterioribus cognoſcitur

par-

partibus, quando globuli rubri in *tunicæ* oculi *conjunctivæ* vaſa ſunt intruſi, per quæ ſola *lympha* aut *ſerum* transvehi debebat. Quando quoque præter ea ita ſanguinis increſcit velocitas & calor, ut pars ejus diſſipetur tenuiſſima; id, quod remanet, magis inſpiſſatur & minime aptum evadit, ut libera circulatione per *vaſa* vehatur *minima*; atque ſerum ipſum mutabitur in gelatinæ genus. Nam calor febris conſuetæ calore non multo major ſanguinis coagulabit ſerum; cujus gelatinæ conſiſtentia ratione violentiæ durationiſque caloris erit proportionata. — Itaque hinc dico, mero ſimplici ſanguinis accelerato motu febrim excitari poſſe inflammatoriam longius durantem atque periculoſiorem. — Quando inflammatio pulmones infeſtat, peripneumonia; quando pleuram, pleuritis; quando cerebrum aut ejus membranas, phrenitis generatur. Ac hi morbi multo fiunt ſeveriores, ubi ante hunc violentum ſanguinis motum fibrarum magnum aderat robur ſanguiniſque inſignis denſitas & quantitas.

Si quando in altero caſu pororum obſtructio & perſpirationis ſuppreſſio admodum inſignis eſt, fibræ fortes tenſæ & ſanguinis ſatis ſpiſſi major adeſt quantitas, febris ejuſdem generis excitatur.

Si quando in tertio caſu fibris tenſis & ſanguine viſcido condenſato magna vini aut alius liquoris ſtimulantis additur copia; utrumque & copia & velocitas ſanguinis ita inſigniter augeri poterit, ut febrim excitet acutam periculoſam, quæ plerumque ebrietatem nimiam ſequitur.

Cum vero quælibet harum cauſarum præcedentium ſingularis febrem excitare poſſit, ut binis aut illis tribus concurrentibus multo violen-

tior *cæteris paribus* commoveatur febris, neceſſe eſt. Sic a nimis ſubitanea poſt vehemens exercitium refrigeratione, ut fieri ſolet, ſi corpus frigido nimis aeri exponitur & uno impetu perſpiratio & ſudor ſupprimitur, febris inflammatoria exorietur periculoſior; quæ eo violentior erit, ſi ſanguis mox antea larga potuum ſpirituoſorum copia fuit calefactus & auctus. —In tranſitu annotandum eſt, nihil efficacius crapulæ effectus malos tollere, quam ſi quis calore corpus fovet & diutius in lectulo ſe continet, ut illam pene concoquat, prouti id vocant.

Quod ſi nunc proximam harum febrium cauſam conſideramus, medendi methodus facile apparet, quæ in eo conſiſtit, ut velocitas, quantitas, & acrimonia ſanguinis, quam primum id fieri poteſt, imminuatur. Aſt nihil tam coercet nimis rapidum ſanguinis motum, quantitatem & calorem, quam ejus emiſſio; nam hoc modo globuli rubri *vis*que ſanguinis *motrix* imminuuntur. —Sanguinis emiſſione uſque ad animi *deliquium*, prouti GALENUS atque nonnulli veterum medicorum in febribus inflammatoriis efficiebant, commotio ſanguinis fere tota per breve temporis ſpatium ceſſat.

Sanguinis ea propter emiſſio profecto prima eſt *intentio* in curatione febrium, quæ a nimia ſanguinis quantitate & nimis rapido ejus motu proveniunt; & quo diutius ea negligitur, eo viſcidior & acrior redditur ſanguis, cum pars ejus diſſipetur fluidior, globuli rubri condenſentur, & ſerum tantum in gradum exæſtuetur, ut in gelatinæ mutetur genus. —Et cum partes ſalino oleoſæ animales magis magiſque exaltentur (id quod ſemper ratione intenſioris & diutius durantis ca-

loris

loris erit proportionatum) tota maſſa putrida & ad uſus animales inepta redditur.

Quidquid præter ea aut in ultimis vaſorum *ſanguinis*, aut in incipientibus *ſeroſarum arteriarum* ramis obſtructionem effecit, illud, ut magis magiſque per nimis violentum ſanguinis motum impingatur, aptum eſt. — Ita ut emiſſio ſanguinis in omnium acutorum morborum principio neglecta, in ſubſequentibus febris *ſtadiis* nullo modo compenſari poſſit; quando materia obſtruens ita impacta hæret, & humorum craſſities viſciditaſque tanta eſt, ut omnem omnium alterantium & diluentium vim eludat.

In genere quantitas ſanguinis emittenda determinari debet viribus ægroti ejuſque pulſu, febris magnitudine, caloris atque ſymptomatum vehementia, ut dolore, ſpirandi difficultate cæteriſque. — Immo corporis quoque habitus ægroti eſt conſiderandus; ſane enim, cæteris paribus, homini robuſto, obeſo major ſanguinis copia detrahi poteſt, quam homini valido, macilento. — Cæterum tutius eſt, ut potius minor, quam major uno impetu emittatur quantitas, cum hæc operatio tam cito, tam facile, & toties, quoties illa indicatur, repeti poſſit. — Quod ſi dolor, calor, ſpirandi difficultas, cæteraque poſt ſanguinis detractionem non imminuuntur, ut plus ſanguinis detrahatur, neceſſe eſſe videtur.

Hic autem medicos juniores admoneam, ne *pulſu oppreſſo* decipiantur, qui ſæpius a nimia ſanguinis copia oritur; quod ex arteriarum poſt ſanguinis in ejuſmodi caſibus emiſſionem liberiori & fortiori contractione apparet, ut quotidiana docet experientia. — Quando tali in re dubius hæret, digitum pulſui alterius brachii applicet, dum

ægroti e vena mittitur ſanguis; atque ſi illum admodum tenuem, tremulum aut intermittentem invenit, in ipſo tempore deſiſtat; ſi vero fortius & plenius digitos ferit, ulterius cum utilitate & ſucceſſu pergere poteſt. — Sunt quidem nonnulli a naturali quadam fibrarum laxitate & defectu juſtæ elaſticitatis, qua vaſa reſpectu evacuationis proportionatim ſe contrahere deberent, ad animi deliquia admodum proni. — His ſanguis *corpore* ſupino emitti oportet, & per breve temporis ſpatium crebrius obturari poteſt orificium, quibus auxiliis magna ex parte avertere valemus animi deliquium. — Tales homines, quamquam fibras & vaſa nimis laxa gerant, ſæpius tamen fiunt plethorici, ideoque natura ſua ſanguinis detractione indigent; in primis ubi humorum volumen vim cordis ſuperare ingruit, quod plerumque in pulſu oppreſſo fieri ſolet.

Sanguinis emiſſio non ejus ſolum quantitatem & velocitatem imminuit, ſed quoque liquorum diluentium ingreſſui viam aperit. Conveniens dilutio omnibus in febribus, in ardentibus præcipue & inflammatoriis ſumme neceſſaria eſt; in his enim ſanguis nimis ſpiſſus & viſcidus particularum ejus tenuiſſimarum diſſipatione efficitur, ſerumque remanens magis magiſque aucto & continuato calore inſpiſſatur vel in gelatinam convertitur: ita ut refrigerantes, tenues, diluenteſque liquores, ad reſarciendam continuam lymphæ atque ſeri diſſipationem & ad totius maſſæ convenientem fluiditatis gradum retinendum, requirantur. — Hi generatim aceſcentis atque aliquo modo ſaponaceæ ſint indolis. Quod ad priores attinet, quoniam vere refrigerant, acrimoniæ humorum alcaleſcentis impediunt incrementum,

tum, quæ alias nimia ſanguinis frictione & calore continuo augetur; nam ſalia animalia calore febrili valde exacerbantur & magis corrodentia redduntur, oleaque animalia eandem ob cauſam tandem rancida efficiuntur & maxime acria: Oleum blandiſſimum aut butyrum magno calore ſumme fiunt cauſtica. — Quod ad poſteriores pertinet, quoniam non lentorem ſolum melius diſſolvunt, ſed & humorum mixtionem conſervant convenientiorem, cum ſalia, ſulphur & aquam intimius magis cum ſanguine uniant. Aquam ſimplicem in febribus acutis copioſe hauſtam, tam limpidam fere & inſipidam, quam erat pota, fuiſſe emiſſam, perſpexi ſæpius; (quod, in tranſitu ſit dictum, ſymptoma eſt admodum periculoſum.) Aqua, ut aqua, ſeſe non unit cum liquoribus oleoſis; ita ut, ſi ſanguinis ſerum calore in gelatinam converſum, & ejus oleoſa pars a diffluente *membranæ adipoſæ* pinguedine cæteriſque exacerbata eſt, ſimplicem aquam neque bene cum ſanguine commiſceri, neque effectum præbere diluentem, haut ſit mirum. Hinc ergo commixtionis nonnullorum ſaponaceorum cum illa, qualia ſunt ſaccharum, ſyrupi, gelatinæ aut fructuum, ut ribeſiorum, rubi idæi, ceraſorum aut ſimilium, apparet neceſſitas. — Succus limonum aut aurantiorum cum pauco ſaccharo & convenienti aquæ quantitate commixtus, gratum admodum exhibet potum & ſcopo diluentis tam acidi, quam ſaponacei ſatisfacit.

Porro ex diluentium uſu non parum utilitatis redundabit & ad corporis humani humores, & ad fibras atque vaſa, quæ illa relaxare annituntur, ſi in primis aliquo modo hauriuntur calida. — Nunc nimia fibrarum tenſio, cæteraque naturali-

ter concomitare ſolent nimiam ſanguinis velocitatem, calorem atque denſitatem, quæ ubique adſunt, vel potius veram febris inflammatoriæ conſtituunt eſſentiam. — Quid balena tepida externe præſtent, nemo neſcit; indeque ſubtepida diluentia interna analogum habere poſſe effectum, facile ſupponi poteſt. — His omnibus ſanguis minus rapidus, minus viſcidus, ideoque minus calidus efficitur; quæ in ardentium inflammatoriarum febrium curatione res momenti ſunt maximi. Quibus addi poteſt, vaſa capillaria obſtructa, perſpirationemque ſuppreſſam tali modo maxima ſecuritate & efficaciter reſtitui, cum humores fuerint redditi *fluidiores* & vaſcula minima permeabilia. Hoc enim bene notandum eſt, ubi copioſam dilutionem a refrigerantis & relaxantis indolis liquoribus ſequitur moderatus & univerſalis ſudor, illum plerumque eſſe criticum & brevi febrim fugare. Moderatum inquam ſudorem; nam profuſus aliquis in febrium principio neutiquam urgendus eſt, cum partes ſanguinis educat tenuiſſimas & reſiduum nimis viſcidum & ad obſtructiones aptum relinquat. — Singulari vero ratione, illum in principio pleuritidis, peripneumoniæ atque variolarum peſſimum præbuiſſe effectum, ſæpius obſervavi. — Atque eandem ob cauſam profuſæ alvi aut urinæ limpidæ evacuationes ſunt periculoſæ.

Aſt methodus ſudores in febrium principio excitandi eſt pernicioſiſſima, ſi calida volatilia & alexipharmaca exhibentur remedia, ægrotus in calido continetur aere & onere ſtragulorum fere ſuffocatur; utpote quæ cuncta jam nimis violentum ſanguini motum atque calorem augent; oleumque camino addunt. Quid? quod ſæpiſſi

me tantum abeſt, ut ſudorem excitent, ut potius illum impediant, cum ſanguinem nimia rapiditate commoveant, ut nullam naturalem atque ordinatam edat ſecretionem. — Satis cognitum eſt, quod quo fortior febris, eo minores ſudoris, urinæ, ſalivæ ſimiliumque ſint excretiones.

Profecto, quando ſola ſanguinis aucta commotio excitare poteſt febrim, quicquid hanc commotionem augebit, illam prolongabit & adaugebit, quod hanc methodum & remedia efficere, ſatis notum eſt.

Itaque hac ratione veſicatoria, quæ ſal acre quoddam ſanguini addunt & fibras inſigniter ſtimulant, certe minus conveniunt in principio, ad minimum in omnibus febribus ardentibus & inflammatoriis. — At quam ſæpe in praxi conſueta videmus, ægrotis larga ſatis in copia ſanguinem emitti, veſicatoria applicari, & mox magnum exhiberi numerum calidorum alexipharmacorum, bolos, cardiaca cæteraque? Quod profecto ſic cum ratione conveniet, ac ſi quis partem magni incendii prius ſupprimere velit & mox poſt ea reſiduam partem extinguere anniteretur, adjecto pulvere pyrio aut vini ſpiritu; — aut ac ſi equo aſpero flagella & calcaria addere velis, quem demulcere cupias: quod ſane fieri ſolet cum veſicatoriis, ubi vis vaſorum oſcillatoria nimia, & fluidorum motus obſervatur rapidior.

Poſt ſanguinis emiſſionem in febrium curatione acutarum multum ſane præſtant ipſo in principio refrigerantia, emollientia atque laxantia clyſmata, ut indurata excrementa, frequentius in inteſtinis hærentia, educantur, & materia bilioſa acris, quæ alias, ad minimum pars ejus per vaſa lactea cæteraque reſorpta perveniet ad ſan-

guinis maſſam, eliminetur. Siquidem hæc in partibus pelvis & abdominis calidi & relaxantis fomenti genus exhibent, & tam a capite & præcordiis derivationem efficiunt, quam urinæ quoque excretionem juvant.

Simili ratione mite, leniens purgans ſæpius ſummæ eſt utilitatis, dum efficacius inteſtinorum canalem, a *putrida ſaburra* abſtergit. Ego vero ſemper talia ſuaderem, quæ præcipue in primas agant vias, ut *Manna*, *cremor tartari*, *ſal catharticum Glauberi*, *rhabarbarum*, *tamarindi* & ſimilia:— omnia draſtica purgantia profecto ad modum ſunt perniciosa, & qualia erunt cunctæ aloeticæ calidæ tincturæ, pilulæ, cæteraque.—Quælibet ſane profuſa purgatio eſt periculoſa, cum partibus lymphaticis ſanguinem nimium privet & reſiduum inſpiſſet. —Quando natura hanc in viam nimis inclinare videtur, primum *rhabarbari* doſis, poſtea paucum *ſpecierum e ſcordio* cum *diacodiato* anodyno aut ſimile quid conveniet.

In febrium ardentium inflammatoriarum profecto curatione præter convenientia & juſto tempore adhibita evacuantia copioſaque diluentia refrigerantia, quibus pauca nitroſa acidique vegetabilium ſucci ſaponacei ſunt addita, plura parum neceſſaria eſſe videntur remedia; hæc enim non ſanguini ſolum juſtum fluiditatis gradum conſervant, ſed ejus quoque proclivitatem in ſtatum putridum coercent. Dum illa copioſe exhibemus, naturam (optimam noſtram magiſtram) ſequimur tantum, quæ illa ſerio poſtulat.—Nam quantum quoque illa in febribus averſetur eſculenta, tanto avidius deſiderat potulenta; malique ominis eſt ſymptoma, ſi illud non efficit, donec ad minimum febris multum fuerit imminuta.

Quod

Quod ſi quacunque a cauſa ſupra allata febris inflammatoria invadat hominem, qui jam antea acri humorum mixtione fuit præditus, febris eo erit violentior; quoniam ſalia acria ut varii ſtimuli agent, ſanguinis motum accelerabunt, ejuſque celeriorem atque majorem producent putredinem. — Hinc itaque tali in caſu maxima diluendi apparet neceſſitas, ut diſſolvantur & abluantur ſpicula ſalina irritantia, (nam nihil quam menſtruum aquoſum diſſolvere poterit ſalia) & ſimiliter remediorum peccanti acrimoniæ ſua natura oppoſitorum. — At diluentia etiam ob cauſas ſupra propoſitas ſaponacei quid continere debent; ſi in primis partes ſanguinis oleoſæ pinguedine febris ob calorem diffluente valde fuerunt auctæ, quod haud raro in quibuſdam obeſioribus corporibus celerrime & mirum in modum evenire ſolet, quod continuo acrimonia & ranciditate augetur & quod ſaponaceum remedium, quo hæc cum partibus aqueis ſeſe uniant, requirit; alias mortiferas producit obſtructiones & gradum acrimoniæ ſummum.

Quod ad diluendi modum attinet, ægroto tam libere & tam frequenter bibere, quam ipſi placeat, permittendum eſſe, exiſtimo, neque vero urgendum eſſe, ut ejus ventriculum uno impetu nimia copia oneret; quod nauſeam, indigeſtionem, flatus cum ſumma anxietate & vigiliis tandemque vomitum vel diarrhœam gignit.

ASCLEPIADIS praxis nulla in re magis erat monſtruoſa, quam ut tribus primis febrium diebus ægrotis omnia potulentorum interdiceret genera: & multum abeſt, ut ipſe, quam dedit, obſervet regulam *tuto, celeriter & jucunde curandi*; cum,

cum, ut CELSUS (*) ait, *convelleret vires ægri luce, vigilia, ſiti ingenti, ſic ut ne os quidem primis diebus elui ſineret.* Hæc neque a magno HIPPOCRATE didiciſſe, neque rationem, naturam vel experientiam ipſum docuiſſe, perſuaſus ſum certiſſime. — Sed hic vir ex *declamatore* transformabatur in *medicum*, atque contra omnes tunc temporis medicos inſurgere auſus eſt: reique novitas ipſum ſuſtentabat, ut ſæpius his temporibus contingit empyricis; & ut in poſterum quoque, donec maxima mundi pars ſtultorum ſit plena, eveniet.

Diluendi modum, qui parco & repetito hauſtu efficitur, optimum eſſe exiſtimo. Nam eadem humorum quantitas certo in temporis ſpatio hauſta magis a vaſis abſorbentibus ab ore uſque ad ſtomachum copioſe diſſeminatis, aſſugi videtur, quando illa crebrius ſorbillatur, quam ſi plenis buccis uno impetu deglutitur; cum hac ratione crebrius & diutius vaſis iſtis applicetur. Siquidem ſi parca in quantitate deglutitur, ventriculi & inteſtinorum actio efficacius illam intrudit in lactea & meſaraica vaſa, quam ſi illa quaſi cum liquoribus obruuntur.

Præter ea diluendi porro & relaxandi ſcopus fomentationibus emollientibus, calidis balneis, refrigerantibus & lenientibus clyſmatibus cæteriſque juvari poteſt. — Brachiorum & manuum, femorum pedumque immo ipſorum hypochondriorum balnea in febribus, quæ ex inflammatoriarum ſunt genere, multum ſane præſtant utilitatis: (quorum egregium effectum ego ipſe aliquando ſum expertus:) ſed *fomenti* calor corporis temperie tunc præſente haud debet eſſe major, id, quod facile determinari poterit ope *Thermometri.*

Hac

* De medicina Lib. III. Cap. 4.

Hac methodo non ſanguis tantum per vaſa abſorbentia humidis repletur partibus, ſed quoque reſerare intendit obſtructiones & univerſam fibrarum tunc plerumque nimis rigidarum creat relaxationem. — In corporis conſtitutione ſicciore & ſtrigoſa utilitatem præbeat maximam fieri aliter non poteſt. Coria & veſicæ animalium ſicciora nihil tranſmittunt, ſed madefactis, per poros eorum aqua cæteraque tranſeunt. — Tepidi quoque liquores emollientes tunc temporis crebrius hauſti primis viis, præcordiis, cæteriſque fomenti relaxantis interni exhibent genus, quod præcipue in pulmonum, pleuræ, aliiſque inflammationibus non parum adfert utilitatis. — Huic capiti porro tantum addere debeo, methodum hanc exercuiſſe veteres, qui vix alia in febribus propinabant, quam tenuia diluentia aquoſa, *ptiſanam*, decoctum hordei, *hydromell*, *oxymell*, cæteraque, ac frequenter admodum utebantur clyſmatibus atque fomentis.

Cum aucta circumcurrentium humorum velocitas ſua ſponte excitare ſoleat febrim, inde quælibet cauſa, quæ ſanguinis motum auget, augebit febrim; febris ergo vis ratione compoſita a viribus dependebit moventibus, hoc eſt, a fibris validis rigidis, a ſanguine abundante denſo, & variis ejuſdem ſalibus acribus, cor & arterias ad frequentiores & vehementiores ſtimulantibus contractiones. — Largus perſalſorum & aromaticorum uſus in perfecta etiam ſanitate calorem excitabit febrilem.

E contrario quo molliores & laxiores ſunt fibræ, quo tenuior & purior ſanguis, eo minus vehemens erit febris. — Hic caſus is eſt, quem *lentam* aut *nervoſam* appellamus *febrim*; quæ diæta

lenta,

lenta, aquoſa, inſalubri, fructibus tenerioribus crudis, tempeſtate calida, humida pluvioſa, animi anxietate diuturna, ſpirituum dejectione cæteriſque generatur. — Hic itaque profecto *lentoris* vel *tenacitatis* humorum producitur genus, & cauſa hujus morbi eſt proxima; illud vero non ex indole inflammatoriorum eſt, (aut quod veteres phlegma phlegmonodes nuncupabant, quodve præcipue globuloſæ ſanguinis parti rubræ inhæret) id enim in primis in vaſis ſeroſis & lymphaticis inſidet, quæ inde obſtruuntur: atque a tali ſanguinis ſtatu tenaci indigente pauci progignuntur ſpiritus animales, eique inordinate ſecernuntur & diſtribuuntur: hinc nervoſa ſymptomata, quæ nominantur febris. — At enim vero, cum ibi obſtructiones productæ fuerint, lympha ſtagnans magis magiſque redditur acris, quæ majorem vel minorem movet febrim, pulſus celeritate, calore vago, horroribus, cæteriſque cognoſcendam. — Omnes corporis humores quo diutius ſtagnant, eo magis fiunt corrodentes; ſic femora hydropicorum tumida, licet in principio ut marmora tam frigida ſint, tandem inflammatione occupantur maxima, humores tempore tam fiunt acres, ut eryſipelas, veſiculas, ulcera cæteraque producant, ut haud raro in fine hydropis fuit obſervatum.

Cum vero ſedes harum febrium præcipue in ultimis vaſculis, aut ſeroſo lymphaticis arteriis & fortaſſe in ipſis nervorum originibus eſſe videatur; & cum eas ſemper nimia nervorum fibrarumque flacciditas & torpor comitentur atque obſtructiones a ſanguinis circumcurrentis curſu majori ſint remotiores; non mirum eſt, ſi illæ non tam facile remediis tangantur & tam cito remo-

vean-

veantur, quam ſi earum cauſa ſpeciatim in vaſis hæreat ſanguiferis. — Siquidem quoque illud conſiderandum eſt, nervis fibriſque non tam ſubito convenientem reſtitui tonum. — Hinc re vera videmus, hoc febrium genus & longiore indigere tempore, ut exoriatur, & multo longore, ut curetur, quam febris conſueta inflammatoria.

Bina hæc febrium genera magna ex parte a cauſis oppoſitis dependere, ideoque illa differentia ſymptomata & effectus comitare videntur. — Itaque conſideremus ſtatum quendam febrilem intermedium, qui totam hanc rem illuſtrabit. Idcirco animum noſtrum ad febres intermittentes advertimus.

CAPUT II.

De Febribus intermittentibus.

FEbrium intermittentium cauſæ communes procatarcticæ ſunt humida, nebuloſa *atmoſphæra*, orta a ſoli humidi, paludoſi exhalatione, vel perpetua frigida, pluvioſa craſſaque tempeſtate; inde in regionibus depreſſis, paludoſis febres intermittentes obſervantur *endemicæ*, & in tali tempeſtatum ratione *epidemicæ*. Hac aeris conſtitutione fibræ nimium relaxantur, & perſpiratio conſueta ſupprimitur, quod ſubitum ſanguinis *lentorem*; lentorque obſtructiones & aliquo modo ſtagnationem in ultimis *arteriarum ſanguiferarum* ramis creat; prouti illud ex frigidis, pallidis & lividis digitis, unguibus, labiis, cæteriſque apparet, quæ proxime antecedunt incipiuntque *rigorem paro-*

xyſmi

xyſmi febris intermittentis. — Inde ſanguis ad cor repellitur, & omnes naturæ vires excitantur ad removendas obſtructiones, quæ ſubito tolluntur caloris acceſſu, ſudore, turbida urina, cæteriſque. — Paroxyſmi ſpecies febris intermittentis per aquæ valde frigidæ balneum excitatum cognoſcimus; pallorem puta, frigus, horrorem, ſanguinis in *arteriis cutaneis* obſtructionem & verſus cor repulſionem: vix tam cito ex balneo egredieris, cum cor, arteriæ cæteraque vim reſiſtentem præcedentis *conſtrictionis* ſuperent, & univerſalis caloris incendium gignant. Quod ſi vero homo balneum intrans debilis & aqua valde eſt frigida atque diutius ibidem moratur; non minus in balneo frigido, quam æger imbecillis in acceſſu frigoris perire poteſt, (quod plerumque fieri ſolet, ſi morbus ſit mortiferus,) cum cor vim ſuperare non valeat reſiſtentem.

Si quando fibræ ſatis ſunt fortes, *lentor* & obſtructiones non nimiæ, hoc naturæ impetu facile devincitur paroxyſmus. — Si quando autem lentor & obſtructiones ſint inſignes, fibræ fortes & rigidiores: febris caloris acceſſu valde intenditur atque facile perverſa curatione in *acutam continuam* mutatur. — Notatu profecto eſt dignum, febres nonnullas intermittentes epidemicas in nonnullis corporum conſtitutionibus febrium ardentium ſpeciem ſimulare atque poſtea quotidianæ aut tertianæ aſſumere; ac haud raro fieri ſolet, ut febris quotidiana aut tertiana in principio per medicamenta calida, qualia ſunt ſpiritus volatiles, ſpiritus ardens, piper, radix ſerpentaria cæteraque (quibus ſæpiſſime miſeri ægroti obruuntur,) in febrim inflammatoriam cum phrenitide, pleuritide aut peripneumonia conjunctam mutetur. —

Ita

Ita ut ſolidorum & fluidorum conſtitutio in nonnullis febribus intermittentibus non multum ab illa inflammatoriarum febrium differre videatur.—Febres catarrhales, tempore vernali anni 1743. per totam Europam nomine *influxus* (influenza) diſſeminatas frequenter pleuriticas vel peripneumonicas factas fuiſſe, bene recordor: &, ut ſæpius fit, poſt duas aut tres dies in quotidianam aut tertianam terminabantur: cum conſtitutionum ægrotorum differentia, cæteraque ita faciem atque naturam alterarent morbi.

Nonnunquam quotidiana, ſemitertiana & tertiana febris uno eodemque tempore cum pleuritide & peripneumonia epidemice graſſantur, ut in primis anno 1744. (*) contigit:—ubi frigida tempeſtas in quibuſdam corporibus fibras ita arcte contrahebat & ſanguinem uſque in talem viſcoſitatis gradum condenſabat, ut refrigerio talem febrim inflammatoriam aut alia excitaret ſymptomata;—cum interim in hominibus laxioris debilioriſque nervorum & fibrarum ſyſtematis & humoribus aquoſis repletis vires vaſorum vibrantium ita tantum afficeret & ſanguinem ſic exæſtuaret, ut malum a deficiente perſpiratione & glutinoſis lentiſque humoribus imminentem effectum per repetitos febris intermittentis ordinatæ removeret paroxyſmos.—Ita haud raro homines, quibus ſpirituum eſt lentor & corporis conſtitutio leucophlegmatica, uſu calidorum, roborantium medicamentorum, qualia ſunt chalybeata cæteraque, febri affici, perſpicimus. Et hæc naturæ mutatio, ſi bene gubernatur, plerumque in perfectam eorum cedit ſanitatem.—Quod ſi

(*) Vid. Obſervat. noſtr. de aere & morbis epidem. *Martio, Aprili, Majo,* 1744.)

febrim lentam nervoſam in ordinatam intermittentem mutare poteris, cito ſanabis ægrotum.

Porro autem, pleuritides, peripneumonias atque inflammatorios rheumatiſmos tempore frigido, ſicco vernali vagari, & magnum intermittentium febrium numerum ſubſequentibus, menſibus calidioribus hos excipere, pluries vidi: cum calor fibrarum rigiditatem diminueret & ſanguinis viſciditatem atque denſitatem reſolveret: e contrario ſi ſolida magis adſtricta & ſanguis magis denſus & viſcidus fuiſſet redditus, febres inflammatoriæ refrigerio aut ſimili re excitatæ eſſent: quibus nunc tantum febris intermittentis creabatur morbus.

Febres intermittentes vernales ordinariæ interdum valde ſalutarem præſtant effectum, dum ſanguinis *lentorem* ejuſque *morbidam* infringunt *cohæſionem*: ut atmoſphæram craſſam nebuloſam purificat procella. Robur ineunte vere exſuſcitatum & auctus naturalis æſtus, aeriſque ſiccitas rarefaciendo attenuandoque graves & glutinoſos humores ac aperiendo poros, efficiunt, ut æſtate accedente febres intermittentes vernales abeant. Et probabile eſt, exſuſcitantem atque attenuantem veris, omnia concitantis, influxum, qui naturæ impellit vires, ut lentam ac glutinoſam colluviem in quibuſdam hyeme frigido humidoque inſigniter collectam, removeat, cauſſam aliquam, ad minimum febrium intermittentium vernali tempore crebriorum eſſe poſſe. — Totam naturam tali anni tempore aliquam orgaſmi ſpeciem ſubire, res eſt certa; ſic quoque vegetabilia rigida novam recipiunt vitam & concreti eorum ſucci novo agitantur motu.

Sanguinem in febribus quotidianis magis,

quam

quam in tertianis atque in his magis quam in quartanis denſum eſſe & tenacem, nos docet experientia (*): ita, *ut in quotidianis, cæteris paribus*, proxime ad ſtatum inflammatorium accedat: id quoque plerumque obſervatur, quod, ſi febris intermittens ordinaria tertiana degenerat in ſemitertianam aut quotidianam, vel ſi multo citius tempus conſueti paroxyſmi redit, febris remittens aut continua mox ſubſequatur. — Et hoc ſæpiſſime regimine admodum calido, aut præmaturo nimis corticis peruviani uſu efficitur. — Quotidianas profecto & tertianas duplicatas, (quæ, ut curſim attingam, haud raro inter ſe conveniunt) in principio corticem ferre nolle, ſæpiſſime videmus; donec potiones ſalinæ, convenientia diluentia & attenuantia, atque in nonnullis ſanguinis miſſio, purgantia & vomitoria fuerint adhibita. — In ejuſmodi profecto febribus intermittentibus citius, quam poſt quatuor aut quinque ad minimum paroxyſmos, & poſtquam corporibus in ſanguinis plethoram valde proclivibus major aut minor ſanguinis detracta fuit copia, corticem exhibere, nunquam prudentis eſſe medici, exiſtimo; & hæc methodus ſpeciatim magis in febribus intermittentibus vernis eſt attendenda. — Porro id annotandum eſt, quod, quemadmodum nihil in febrium intermittentium curatione efficacius ſit, quam juſto tempore exhibita illaque repetita vomitoria, (prouti natura nobis demonſtrat, cum hoc unicum inter perpetua ejus paroxyſmorum referat molimina,) ſic ſanguinis emiſſio præcedens in corporibus ſanguine plenis, præcipue ſi ipſo in paroxyſmo propinantur iſta, eo reddat tutiora; id, quod frequentius

(*) Vid. Dr. *Langiſch's* modern Theory &c. Cap. V.

optimo cum ſucceſſu efficitur. — Neque hæc nova eſt medendi methodus; nam CELSUS ſuadet, *cum primum aliquis inhorruit, & ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam ſubſalſam, & vomere eum cogere.* Lib. III. Cap. 12.

Itaque videmus, nonnullas febrium intermittentium ſpecies quam proxime ad ſtatum accedere inflammatorium, & regimen frigidum, convenientem diluendi modum & interdum ſanguinis non minus ad aliquem gradum emiſſionem, quam alias requirere evacuationes. — Ut nitrum cum cortice conjunctum per totum curationis tempus exhibeatur & ut ſimili modo nonnunquam ejus uſus per unum alterumve diem intermittatur atque ſal abſinthii & ſuccus limonum cum florum chamomillæ & corticum aurantiorum ſevilianorum aut ſimilium infuſione propinetur, neceſſe eſſe, cognovi. — Quod ſi intermittens in continuam inflammatoriam degeneret febrim, ſanguinis emiſſio atque moderatum purgans refrigerans illam cito ad ejus typum reducet.

Sicut vero quædam intermittentes ad degenerationem in febrem inflammatoriam ſunt proclives; ſic longe major numerus præcipue tempore autumnali ad mutationem in anomalas remittentes lentas, putridas, vel in lentas nervoſas febres inclinat. Id haud raro contingit, ut quotidiana degeneret in tertianam, inde in quartanam & tandem in hydropem; idque in primis nonnullis fieri ſolet temporibus & quibuſdam in locis. Hoc clare demonſtrat, febres magis magiſque enervari & ſanguinem valde vappidum atque aquoſum fieri. — Ipſæ febres tertianæ vernæ, quæ ſæpius ſibimet ipſæ tempeſtate favente medentur, nonnunquam æſtate humida, pluvioſa inſigniter fiunt

perti-

pertinaces & ægroti admodum ſunt proni, ut leviſſima data occaſione iterum in illas recidant: quod ſingulari ratione fuit obſervatum æſtate iſta humida frigidaque anni 1734. & 1755. (*) Quibus in rebus uſum juſculorum carnis quotidianum, crebrioraque balnea frigida ad avertendas recidivas magnæ utilitatis eſſe, cognovi. — Hiemis frigus fortaſſis eſt, quod, cum fibras contrahat, plerumque febres intermittentes tali tempeſtate tollat; nam, illas hieme calida & humida, eſt obſervatum, fuiſſe valde pertinaces.

Inconvenientes evacuationes, quæ ſanguinis miſſione & purgatione fiunt, diæta inſalubris craſſorum, glutinoſorumque ciborum, vappida, lenteſcentia potulenta, qualia ſunt ſtagnans limoſa aqua, cereviſia malæ notæ & ſimilia has febres valde anomalas, pertinaces atque periculoſas reddunt, ac, ut in malignas putridas vel lentas nervoſas degenerent, ſæpius efficiunt; alias illæ hydrope, ictero, aut viſcerum abdominalium obſtructione univerſali & frequenter morbis genus nervoſum afficientibus terminantur. — Brevibus, quicquid vim fibrarum elaſticam nimium imminuit, & ſanguinis craſin attenuat, illud hæc producet incommoda; & hoc in primis fieri ſolet, ſi nebuloſo frigido aere perſpiratio crebrius juſto interrumpitur, defectus convenientis exercitii atque craſſa, lenta glutinoſaque accedit diæta, ut ſunt piſces, lactucæ, cucumeres aliique inſigniter aquoſi fructus, quæ perſpirationem inſigniter ſupprimere cognita ſunt.

Itaque regiminis calidi, roborantis attenuantiſque neceſſitatem in curatione intermittentium febrium, quibus homines laxiore corporis conſti-

* Vid. Obſervat. de aere & morbis epidem. Vol. I.

ſtitutione & ſanguine raro, tenui præditi afficiuntur, clarius demonſtrant hæ obſervationes; in primis ſi humida nebuloſaque prævaleat atmoſphæra. — Tali in rerum ratione *cortex peruvianus*, licet optimus & ſcrupuloſe ſit electus, ac licet cum convenientibus alexipharmacis, qualia ſunt *radix ſerpentariæ virginianæ*, *contrayervæ*, *myrrha*, *camphora*, cæteriſque ſit conjunctus, ſæpius tamen nihil efficit. — Poſt quatuor aut quinque paroxyſmos chalybeata calida maximo cum ſucceſſu addi poſſunt. — Neque vero *corticem* vel chalybeata nimis cito propinare debemus, ubi ægroto eſt *color faciei flavus*, *abdomen tenſum*, corporiſque obſtipata admodum conſtitutio. — Quo in caſu *mercurialia*, *ſaponacea*, *reſerantia* cum *rhabarbaro*, *aloe*, *tartaro regenerato* aut *ſolubili* præmitti debent: quid? quod interdum ſatis convenienter conjungi poſſunt cum cortice.

Ergo ex his omnibus, quæ hac de re ſunt dicta, apparet, intermittentem ordinariam tertianam inter inflammatoriam & lentam nervoſam eſſe intermediam; atque fluidorum ſolidorumque conſtitutionem ex altera parte tantum commoveri poſſe, ut ſanguinem ad febrim continuam inflammatoriam exæſtuet; & ex altera parte tantum deprimi poſſe, ut effectum lentum vel lentam nervoſam febrim progignat. — Inde quoque cauſa atque curatio talium febrium aliquo reſpectu ob oculos poſitæ eſſe videntur.

Cum vero quodlibet febrium genus naturæ ſit conamen, quo ſe ipſa quacunque a re, quæ ipſi moleſta eſt, liberare annitatur, nos ejus conaminibus modo, quem ratio & experientia ſuadet, ſemper ſuccurrere opportet convenientiſſimo. At caute admodum agere debemus, idque

in

in primis in principio, qua ratione in conaminibus adjuvandis aut cohibendis pergere velimus, donec bene naturam, quantitatem & qualitatem morbi, ægrique conſtitutionem conſideraverimus. Quorum reſpectu in binas has res, in ſtatum puta ſolidorum & fluidorum, diligenter inquirere, ſumme erit neceſſarium.

CAPUT III.

De ſolidorum ſtatu.

OMne illud, quod corporis firmitas & robur conſtitutionis vocatur, origine ſua elementaribus noſtrorum corporum debemus ſtaminibus; & a forti aut debili eorum textura magna ex parte noſtra futura ſecunda vel adverſa dependet valetudo.—A natura profecto quædam determinata conſtitutio & robur fibrarum data erant, & quælibet ab illis aberratio nominari poteſt morbus; quæ a debilibus parentibus, errore diætæ, exercitio & variis aliis rebus oriri poteſt, quæ quoque aberratio ut in praxi medica attente obſervetur, mallem.

Roboris juſta proportio cum *flexibilitatis* gradu convenienti congruens efficit ſalutare illud *intermedium*, in quo perfecta conſiſtit ſanitas. Nimius rigiditatis gradus, nimis cito ſuccos diſſipare ſolet nutritios, & maraſmo terminatur; ſicut nimia vaſorum laxitas illos pronos reddit ad ſuperpondium creandum & leucophlegmatiam aut hydropem gignit. Illud fluida animalia nimium diſſolvit, hoc non ſatis ea, quæ aſſumta fuerunt, aſſimilat.

Vaſorum fortior vis elaſtica magno cum impetu in fluida contenta agit, atque majorem frictionem, indeque magnum calorem & conſtanter ac large ſimul partes aqueas diſſipat tenuiſſimas, quibus globuli ſanguinis in comparatione copioſiores, denſiores atque compactiores, humores vero generatim redduntur viſcidiores; ut ex ſanguinis ſtatu, qui ſemper in valde laborioſis obſervatur populis & quorum ſanguis nunquam non talis eſt generis, dilucide apparet.— Quæ ubi naturæ limites inſigniter ſuperant, morbi oriuntur, qui in toto corpore ſunt, & inducunt quaſi febrim continuam, tandemque atrophia vel perfecto finiuntur maraſmo, niſi multo citius violens inflammatorius morbus talem e vivis tollat; & a quibus ob denſi, viſcidi ſanguinis ſtatum, rigiditatem ac contractionem aut adſtrictionem vaſorum multo majore cum difficultate convaleſcunt, quam alii, quibus ſunt fibræ molles, ſanguis ſimplicior, attamen fluidior. Vix enim boni quid uſquam eſt, quo quiſquam uti poſſit ſine malo omni; roſa gerit ſpinas; ſic quoque hæc incommoda proveniunt a ſanitate perfectiſſima & vigore: *quanta humani generis fragilitas*!

In tali conſtitutione uſus emollientis farinacei potus & diætæ cum frequentibus balneis ſubtepidis præcipue in valde ſicca & frigida tempeſtate convenit maxime.— Si quando homo talis conſtitutionis corripiatur febre inflammatoria, ut pleuritide, peripneumonia aut ſimili, ut perpetuo magnam tepidorum, aquoſorum atque emollientium diluentium copiam abſorbeant, ſemper ſuadere velim; quibus auxiliis vapor calidus pulmonum partes & meatus relaxat, atque liberiorem per illos tranſitum ſanguinis indeque faci-

ſiorem ac copioſiorem promovet exſcreationem, ita, ut ſanguis eodem tempore diluatur efficaciſſime. — Præter ea fomenta emollientia & diluentia moderate calida (non vero fervida) femoribus, pedibus, brachiis, manibus, hypochondriis & pectori ſunt applicanda; quæ haud raro mirum in modum egregium edunt effectum & multo majoris utilitatis atque efficaciæ ſunt, *quam magna illa difficilioris coctionis farrago officinarum, cui olim adeo inhærebant.*

Balneorum frigidorum uſum præpoſterum ſtrigoſo corporis habitui nimiſque *rigido* vidi detrimentum attuliſſe maximum; illa enim ſunt, quæ *conſtrictionem* & *rigiditatem* augent. In genere obſervandum eſt, plures, qui frigido utùntur balneo, fieri tenuiores, licet robuſtiores reddantur atque agiliores. — Ante aliquot annos vir quidam nobilis habitu corporis tenui, macriori, aſt naturali ſpirituum alacritate ſingulari conſtanter maximis agitatus exercitiis, & frigido frequentiorique lavacro in mari, interdum quoque ipſa tempeſtate valde frigida aſſuefactus, me conſuluit: corporis ejus caro quotidie attenuabatur, tandemque debilis atque animo valde abjectus reddebatur. — Per hanc methodum fibras omnes nimium fuiſſe conſtrictas, nimiamque *lymphæ* tenuioris ipſiuſque præcipue *liquidi nervoſi* copiam per poros fuiſſe diſſipatam, exiſtimabam. Per omne enim illud temporis ſpatium ſufficientem aſſumebat alimentorum quantitatem, neque inordinariam quandam habebat ſenſibilem evacuationem. Humidam, relaxantem, nutrientemque imperavi diætam, balneorum frigidorum interdixi uſum, tandemque ad aquas ipſum miſi *Bathonianas*. —Valetudinis perfectioris, ſpirituum &

car-

carnis citior reſtitutio erat affectus: Nihil e contrario efficacius molles & laxas roborat fibras, quam balneorum frigidorum uſus, hoc molles, debiles ac gibboſi infantes (rickety) mirum quaſi in modum ſubito reſtituuntur. — Tempore profecto ignorantiæ, quo ejus ſacerdotes erant fraudatores & plebeii ſtulti, varii fontes nullam aliam ob cauſam, quam ob puram frigidam fuerunt conſecrati aquam, cujus virtutes illi miraculorum venditores Sancto quodam ab ipſis excogitato tantum adſcribebant. (*)

Veterum methodicorum doctrina ratione ſtricti & laxi, ſi cum judicio adhibetur, magnam in praxi medicinæ afferre poteſt utilitatem; licet ſane ea frequentius tam in theoria quam in praxi confundatur. De morbis autem fibrarum nimis ſtrictarum vel nimis laxarum varias egregias effecit obſervationes BOERHAAVIUS, quæ utilitatem in praxi afferunt maximam. — Fibrarum ſpecies alia eſſe videtur, cujus nulla facta eſt mentio, quæ nominari poteſt *tenera* vel *delicata ſolidorum conſtitutio*, & quæ facillima ratione dolore aut gaudio ſummo afficitur; quorum vero *ſtamina* ita ſunt tenuia, ut leviſſima a cauſa turbentur. Quod ſæpiſſime in teneris pulchris hominibus delicatiori & admodum agili forma obſervatur, quibus quidem *ſpiritus* ſunt in promtu, licet *vires* deficiant: Tales haud raro *hæmoptyſi*, vel aliis *hæmorrhagiis*, tabe & *phthiſi* afficiuntur *pulmonali*, indeque id oritur, quod peculiari nomine appellatur conſumtio.

Brevibus nimiæ *conſtrictionis* vel *tenſionis* ſolidorum malum conſideravimus effectum, nunc cur-

(*) In libri hujus translatione gallica tota hæc deſideratur periodus, an fortaſſis ob veritatem in illa elucentem?

curſim videamus, quæ ab earum nimia laxitate oriantur incommoda.

Vaſa debilia ſufficienti parum modo in contenta agunt fluida, ea non ſatis *comminuunt* eorum figuram *globoſam efficiunt*, neque chyli partes *aſſimilant*; — ipſe profecto chylus a digeſtionis organis, ſi debilia ſunt, nunquam bene præparatur. — Ubi vaſa juſto prædita ſunt tono, & quodam vigore contra alibiles, quos ex ventriculo cæteriſque partibus accipiunt ſuccos, nituntur, nullæ chyli inordinatæ formæ particulæ paucis horis poſt paſtum reperiuntur in ſanguine, & in debilioribus *leucophlegmaticis* hominibus illæ nunquam vel non niſi longum poſt tempus in ſanguinis globulos & *ſerum* conveniens commutantur. — Siquidem in hoc laxo habitu ſanguis ipſe non tantum, quantum ſufficit, agitatur & vi impellitur, ut juſtum accipiat calorem naturalem, neque ut ſalinæ, ſulphureæ & oleoſæ partes in talem commiſceantur tenuitatis gradum, qui aptus ſit, ut naturæ animalis propoſito inſerviat; neque ſanguinis globuli rubri (magnum illud vitæ ſanitatiſque principium) ita compingantur, atque rotundi firmique effingantur, ut requiritur. — Hinc inordinaria vaſorum concretio, *lentor*, vel *tenacitas ſeri* & *lymphæ*, defectus ſpirituum animalium omniumque ſecretionum diminutio neque perfectio. — Quæ omnia excipiunt *cachexia*, *leucophlegmatia*, & morbi hydropici, inordinariæ intermittentes & remittentes aut illæ lentæ nervoſæ febres; cum humores juſti ob motus & circuitus defectum in aliquod putredinis genus degenerantes in *ultimis* ſtagnent *vaſculis*, propter obſtructiones continuo obortas ex defectu juſti niſus vaſorum, quæ non tantum, quantum

ſufficit, agitant, comminuunt & protrudunt eorum contenta.

Nunc autem omnes corporis humores ſtagnantes cito corrumpuntur & fiunt acres, idque tantum nonnunquam in gradum, qui febres indolis excitet peſſimæ: licet enim ſanguinis circuitus ob contrahentium propellentiumque vaſorum debilitatem valde languidus eſſe poſſit, ille tamen ſufficit, ut aliquo modo, ob acrimoniam ſtimulantem, febrilem efficiat calorem, tandemque generalem putredinem; prouti *febres* comprobant *chloroticæ*, quæ ſæpius fiunt pernicioſiſſimæ. — Femorum tumores frigidi hydropici haud raro eryſipelatis genere & gangræna finiuntur.

Igitur juſta ſtatus ſolidorum conſideratio non in chronicis ſolum, ſed in acutis quoque morbis medicis eſt res momenti maximi; hæc enim generatim ſunt cauſæ, ſtatum fluidorum peculiarem efficientes, primariæ. Exempli gratia virum conſtitutione robuſta, fortibus atque rigidis præditum fibris, qui corpus multum exercet, ſanguinem gerere denſum, craſſum & ad talem viſciditatis gradum inclinantem, qui morbo febrili accedente excitari queat, concludere poſſumus naturaliter; indeque tempeſtivam ſanguinis detractionem conveniens illis præveniendi eſſe auxilium: e contrario vero debilem, laxam, mollemque conſtitutionem alere ſanguinem macrum, tenuem, aquoſum, neque hujus emiſſionem neque largas evacuationes perferentem.

Diligens talis indagatio ſub acutorum morborum initio maximam affert utilitatem, præcipue in variolis & aliis febribus exanthematicis, ita ut medentem reddat certum, utrum ſanguis emittendus ſit, nec ne.

Exem-

Exempli gratia, viro valido, pulſu forti, violentibus variolarum ſymptomatibus correpto, ſanguinem ante eruptionem non detrahere, vitium eſſet vix excuſabile; nam febrim in tali corporis habitu non poſſe non valde exacerbari, colligere poſſumus; ſed hominibus infirmis, laxis, niſi urgentia admodum illud imperent ſymptomata, ſanguinem detrahere, temerarium eſſet. — Aſt quam parum hoc in praxi vulgari perpenditur? Alii enim, dum acceſſio variolarum apparet leviſſima, more conſueto, ſanguinem mittunt & vomitum excitant; alii vero, ne debilitent ægrotos, tam meticuloſi ſunt, ut, illos, nulla morbi pernicioſi habita ratione, necari inflammatione, ſinant.

Quod ſi ægrotum antea cognovit medicus, in ejus conſtitutione dignoſcenda parum dubius eſſe poteſt; ideoque *cum par ſcientia ſit*, recte ait CELSUS (*), *utiliorem tamen medicum eſſe amicum quam extraneum*. Quando vero hoc non accidat, caro firma, dura, cutis arida, calor ingens, ſitis, rubor, ſpiritus cum fervore ex naribus prorumpens, & dolor violentus, cum forti, tenſo, celeri pulſu, fibrarum validarum valdeque elaſticarum & febris ardentis vel inflammatoriæ ſatis evidentia ſunt ſymptomata. Pulſus debilis, celer, mollis, moderatus calor aut color, mediocris ſitis, urina pallida, caro & cutis mollis, ſudor viſcidus, non per totum corpus aequalis, inordinarius, frigidus aut profuſus, cum gravitate & anxietate magis, quam ſeveris doloribus, & cum humida, licet fortaſſe alba obducta cruſta vel impura lingua, denotant contrarium. — Re vera autem cuncta hæc melius diſcuntur experientia, quam

(*) Præfat. ſub finem.

quam proponuntur præceptis: — igitur de his rebus hæc ſufficiant.

CAPUT IV.

De fluidorum ſtatu.

FLuidorum ſtatus, qui maxima ex parte, uti in antecedentibus dictum fuit, a ſolidorum dependet conditione, nunc eſt conſiderandus.

Itaque primo ſanguinis ſtatus eſt, in quo humores nimis denſi ſunt ac viſcidi, in quo globuli ſanguinis nimium abundant, & intimius compacti vel condenſati exiſtunt, in quo ſeri globuli æquali ratione inveniuntur — breviter, in quo tota fluidorum maſſa nimium glutinoſa & ad concretionem in formam ſolidam nimium eſt prona. — Conſtitutionis robuſtæ homines, quibus ſunt fibræ fortes, qui ſe vehementer exercent, & plena veſcuntur diæta, huic ſtatui præcipue ſunt obnoxii. — Igitur, ſi globuli ſanguinis valde ſunt denſi & copioſi, atque vaſa admodum valida & claſtica, magnum *motus momentum* adferri debet fluidis circulantibus, ideoque magna frictio & calor major, quorum uterque ſanguinis partes diſſipant fluidiſſimas & viſciditatem augent: ita, ut pars reſidua fiat glutinoſior &, quin per extremos arteriarum capillarium ramos tranſeat, minus apta: indeque obſtructiones, inde inflammationes.

Porro magnus calor *ſerum* coagulare annititur; conſueto febris ardentis æſtu non multo major, ſanguinis ſerum in gelatinam mutat, ut id docuit experientia. — Hinc ſanguis vehementi in febre inflammatoria miſſus craſſo glutinoſo corio vel cruſta, ut appellatur, obtegitur; quam

in

in nonnullis ſeveris pleuriticis vel rheumaticis morbis fere ad pollicem unum craſſam vidi. — Hanc ita ab æſtu febrili formatam fuiſſe, manifeſtum eſt; prima enim ſanguinis miſſione a febris initio iſte ſatis apparet floridus, licet denſior; cum e contrario ſecunda, tertia aut quarta ejus detractione, quando æſtus diutius duravit, majorem in modum fiat glutinoſus & craſſiore contegatur corio: — & ſanguis profecto in genere, quo febris vehementior & homo, cui ſanguis fuit detractus, eſt fortior, eo exiſtit craſſior & tenacior. — Atque hoc peculiarem in modum accidit in febribus, quæ vehementem dolorem habent conjunctum, quales ſunt pleuritidee, rheumatiſmi, cæteraque. — Cum enim dolor ſit ſtimulus, qui motum, frictionem & æſtum inſigniter auget, hæc vehementiæ comparatione ſerum inſpiſſant. — Itaque inflammatoria tenacitas in tenerrimis membranarum aliarumque partium vaſculis hærens, ea nimium diducit & inflammationes majores atque dolores excitat; ita ut alterum alterius mutua fiat incitatio. Licet vero denſior hic ſanguinis ſtatus in ſanitate magno cum corporis robore, pulſu valido firmoque & calore naturali majore ſit conjunctus; febris tamen acceſſione is inducit valde violentia ſymptomata, brevi mortifera, niſi ſanguinis miſſione, refrigerantibus, diluentibus & emollientibus potionibus & remediis hæc avertantur.

Porro autem nimia ſanguinis etiam boni plenitudo jam aliquem morbi efficit gradum, ideoque athletarum ἐυεξίαν periculoſam pronunciat HIPOCRATES (*) atque de hujuſmodi corporis habitus hominibus eleganter ait CELSUS (**) *ſuſpecta*

(*) Aphoriſm. 3. Sect. I. (**) *Lib. II.* Cap. 2.

ſpecta habere bona ſua debent. — Talis *plethora* non arterias ſolum ſanguiferas nimium diſtendit, ſed orificia quoque arteriarum ſeroſarum lymphaticarumque dilatat, quibus id inducitur, ut leviſſima data occaſione ſanguinis globuli in ea intruſi obſtructiones ab *errore loci*, prouti appellantur, efficiantur, inde inflammationes & diſruptiones frequentiores ſequuntur, in primis in cerebro & pulmonibus. — Qua in re nihil quidquam tantum affert levamen, quam ſanguinis detractio, quæ, ſi non excedat, tantum abeſt, ut debilitet, ut potius ægrotum roboret, cum ſolida inter & fluida reſtituat æquilibrium. Cujus nihilo minus conſervatio nonnullis in caſibus & conſtitutionibus altioris indaginis res eſt; licet illud ipſa quoque cum ſanitate conveniens, generatim late admodum pateat.

Quidam delicati, floridi & plethorici homines mox a minimo vitæ variæ errore afficiuntur; & quidam talis conſtitutionis mihi noti ſunt viri, qui ratione hæmorragiæ cujuſdam ordinariam experti ſunt *evacuationem menſtrualem*, quam *ſexus delicatioris* plurimæ. — Optimæ progeniei & accuratiſſime nutritus *Gallus* ejus *athleticum ſtatum* vix diutius, quam viginti quatuor horas perferre poterit, (*) & mirum in modum ab illo ſubito defatigatur. — *Quia non ultra progredi poteſt, retro quaſi ruina quadam revolvitur*, ut de viro plethorico loquitur CELSUS. (**)

Sanguinis ſecundo alia conſtitutio vel craſis, priori illi prorſus oppoſita invenitur, ubi globuli ſan-

(*) Vid. D. BRYAN ROBINSON on de food and Diſcharges of human Bodies. (de corporis humani nutritione & evacuationibus.) p. 119.

(**) Loc. cit.

ſanguinis nimis pauci eique laxe nimis ſunt compacti, & ubi ſerum nimis aquoſum, vappidum & nonnunquam glutinoſæ viſcidæque exiſtit indolis. Ab hoc ſanguine inerti, pituitoſo omnes imperfectæ ſunt ſecretiones, neque a natura animali tantum, quantum ſufficit, participant; *bilis* fit *iners*, ſpiritus animales depreſſi deficiunt, *ſaliva* in merum *inſipidum* vertitur *mucum* & ſic porro.— Hinc digeſtio perturbata univerſalis, debilitas, frigus, pallor, cacochymia, hydrops, cæteraque.— Brevibus, lentus talis humorum motus, is ad minimum, qui ex defectu circulationis ſanguinis juſtæ oritur, ipſos humores in morbidas dejicit concretiones, cum aliis in locis vaſa obſtruat, & in aliis ſtagnet, ubi ſpontaneam contrahunt corruptionem, talem tandem efficientem acrimoniam, quæ haud raro febre valde malignæ indolis periculoſique effectus finiatur: atque hoc eo magis fieri ſolet, quo vaſa majorem ſuæ elaſticitatis partem & ſanguis plura principia vitalia perdiderunt:— ita, ut tandem vel lentor ejus glutinoſus in corde ſtagnet, vel humores corrupti fabricæ animalis delicatiores & eſſentiales arrodant atque deſtruant partes, cerebri in primis compagem, ubi naturaliter lente admodum moventur humores, vaſaque ipſa ſtructuræ ſunt tenerrimæ.—Igitur, quemadmodum nimis rapidus ſanguinis curſus vaſa ſæpius diſrumpit minima; ſic humores nimium lente moti ſtagnant, corrumpuntur, tandemque illa corrodunt.

Bini hi inter ſe differentes fluidorum ſtatus haud improprie a conſtitutione nominari poſſunt, cum ſtatum ſolidorum naturaliter ſequantur; ita, ut quoque ſanguis copioſus, denſus ſem-

per conjunctam habeat fortem elaſticam vaſorum compagem, & ſanguis iners aquoſus relaxatum corporis habitum, ubi horum alterum a naturæ legibus aberrat, illud verum excitat morbum, atque in quocunque concurrente morbo id accidat, bene eſt attendendum. (*)

CAPUT V.

De ſanguinis reſoluto & putrido ſtatu.

PRæter hos vero porro *tertius ſanguinis* reperitur *ſtatus*, cæteris iſtis multo periculoſior; illum ſtatum puto, qui ad *diſſolutionem* & *putredinem* abſque intermedio aliquo magis tendit. — Hic caſus manifeſte apparet in quibuſdam (ſic dictis) *ſcorbuticis*, ubi ſine ullo alio ſingulari & evidenti morbo prægræſſo (niſi fortaſſe genere quodam laſſitudinis & languoris) homines ſubito per ſummam totius corporis cutem eruptionem macularum violacei, lividi aut quoque nigri & cœrulei coloris experiuntur, & mox profuſa periculoſaque interdum, immo mortifera corripiuntur *hæmorrhagia*, cum, ſe ullo morbi genere laborare, illi ipſi aut alii vix credant. — Cujus generis exempla eveniunt plurima: plura tam apud junioris quam adultioris ætatis homines perſpexi,

(*) Febres ardentes & inflammatoriæ ſunt naturaliter fibrarum nimis elaſticarum & rigidarum ſanguiniſque denſioris ac viſcidi effectus; cum lentæ & nervoſæ febres a nimis laxo vaſorum ſtatu & ſanguine inerti atque tenui oriantur. — Reperiuntur autem varii morbi, præcipue illi contagio excitati, qui utriſque ſunt communes.

ſpexi, quibus quoque haud raro ſubſequentem prædixi hæmorrhagiam.

Quando *feminæ* talibus eruptionibus aut *vibicibus* nigris vel cœruleis aut latis variæque figuræ maculis, contuſionibus ſimilibus laborant, iſtæ ſemper nimio *catameniorum* profluvio, niſi alia profuſa accedat hæmorrhagia, erunt ſubjectæ.— Quid? quod, ſi homines alterius ſexus his afficiuntur phænomenis, illi ingentem ad ſanguinis copiam ex leviſſimo vulnere & haud raro ſine eo ex palato, naribus, inteſtinis aut viis urinariis emittendam ſunt proclives.

Quorum hominum ſanguis, ſi detractus fuit eam ob rationem, ut alterior hæmorrhagiæ avertatur progreſſus, prouti credebatur, (quod, in tranſitu ſit dictum, minime convenit, niſi evidentiora *plethoræ* adſint ſigna) ſemper quaſi ut *merum coagulum* apparet, cum non, ut conſueto modo fieri ſolet, in craſſamentum & ſerum ſeparetur, ſed æqualis ſemicoagulata remaneat maſſa, quæ plerumque lividi aut obſcurioris conſueto eſt coloris, & licet nonnunquam diu florida ſatis perſtet, ſemper tamen citius putreſcit. — Hoc quoque notatu dignum eſſe videtur, talium hominum ſpiritum admodum frequenter ante eruptionem magis fœtere, eorumque urinam ſæpius peſſime olere: evidentia putredinis incipientis ſigna humorum; qui, dum magis magiſque fiunt acres, tandem vaſa corrodunt. Nam hoc hæmorrhagiarum genus ſæpe hominibus contingit, qui neque ullum plethoræ ſignum, neque plenum neque valde celerem pulſum, atque parum vel nihil habitus cujuſdam febrilis monſtrant, neque uſu violentis exercitii agitantur; ita ut illæ a corroſione, non a ruptura vaſorum nimia ſanguinis

quantitate aut velocitate diſruptorum ſint obortæ. — In nonnullis ſane tenerioris & delicatulæ conſtitutionis corporibus nixus levior eorum tenuiora tenerioraque diſrumpet vaſa, prouti in quibuſdam obſervare licet, qui a qualibet leviſſima accedente cauſa hæmoptoe vel ſanguinis ex naribus fluxione afficiuntur; hæ vero hæmorrhagiæ raro conjunctas habent aut ipſis præcedunt lividi vel violacei coloris eruptiones, cæteraque. — Quibus in caſibus ſanguinis parca convenit detractio, qua nimius ejus ad vaſa teneriora impetus avertatur, quanquam etiam tunc non evidens adſit plethora.

Supra propoſitas hæmorrhagias plerumque ab *acri* quodam oriri *humorum ſtatu*, qui ſanguinis craſin deſtruat & ultimos arteriarum capillarium ramos corrodat, licet ſim perſuaſus, eæ tamen nonnumquam etiam eveniunt a nimis laxo contextu globulorum ſanguinis, non tantum, quantum ſufficit, actione cordis, arteriarum cæteriſque compactorum, quem ob defectum illi ſphæræ oblongæ vel inordinate formatæ moleculæ loco ordinariarum ſphærarum fiunt, ideoque majorem diametrum & naturali minus firmam accipiunt compagem. — Ex microſcopicis vero obſervationibus (illis præcipue ope microſcopii ſolaris factis,) apparet, ſanguinis globulos per minutiſſimos arteriarum ſanguiferarum ramulos tranſientes figuram ſuam globoſam haud raro mutare in oblongiorem, ut per hæc valde tenuia tranſire queant vaſa. — Atque haud intellectu eſt difficile, qua ratione globuli iſti leviter cohærentes in tranſitu ſuo dividantur, cum aucta congeries eorum tranſitum reddat difficiliorem. — Cum vero hæ diviſæ partes minorem habeant dia-
me-

metrum, quam globuli iſti principales, facile introire & quoque per quoſdam ductus excretorios tranſire atque exſudare poſſunt per diapedeſin, ut veteres appellavere. — Hæc re vera ita fieri, ex ſanguine per urinam & per alvum reddito, aliiſque hæmorrhagiis apparere videtur, quæ ſæpius ſine ullo dolore, motu violentiore vel abſque ulla vaſculi cujuſdam rupti ſuſpicione accidunt. — Quid? Quod in febribus malignis & quidem ubi motus ſanguinis non adeo erat fortis, ſub axillis ſudoris ſanguinei genus (*) pluries vidi, quo fere colore vini burgundici tingebantur linteamina. — Atque hoc notatu eſt dignum, ſi hoc hæmorrhagiæ genus ex naribus provenit, illud, quod profluit, eſſe tenuem ſanguineum ichorem, qui non, ut ſanguis alias ex naribus hominum ſanorum vel in febre inflammatoria profluens, & in genere craſſus, lucidus & floridus reperiundus concreſcit: quædam chloroſi laborantes virgines ad ſanguinis ex naribus eruptionem valde inclinant, quarum vero ſanguis colore ſuo vix juſte tingit linteamina. — Petechiæ, vibices aut ſtigmata livida, quæ ſæpius has concomitantur hæmorrhagias, demonſtrant, globulos ſanguinis fuiſſe diſſolutos aut diviſos & ingreſſos in arterias ſeroſas, vaſa exhalantia cæteraque, ubi impacti hærentes hæc excitant phænomena. — Atque ego peculiariter in nonnullis putridis, malignis febribus, flavas aut potius caſtanei coloris obſervavi petechias, valde copioſas & aliis non minus ominis mortiferi: (*) Hic ſanguinis globuli in tam par-

(*) D. *Hodges* de Peſte ait, ſe in illa ſudorem purpureum & ſanguini fere ſimilem obſervaſſe.

(**) Vid. Obſerv. de aere & morb. epidem. Vol. I. Anno 1735. *Mart.* & *Aprili*, & Anno 1740. *Julii*.

vas diviſi erant particulas, ut originali ſuo colore, quem compoſitæ habebant, omnino privarentur. Fortaſſis ſudor fuliginoſus & urina obſcuro vel nigro colore tincta, in qua ſubſidunt livida & quæ ſæpius in febribus incidit maligni generis, oriuntur a ſtatu globulorum ſanguinis diſſoluto & corrupto: variis temporibus fere prorſus nigram emiſſam fuiſſe urinam vidi, ex qua multum deſidit & quod reſidui potus Coffèe colori proxime accedebat. — Nonnunquam quoque obſtupeſcimus, ſi ægroti faciem manuſque impuras & quaſi fuligine conſpurcatas perſpicimus, licet, ut iſte purus ſervetur, omnem cogitationem curamque adhibuerimus.

Præter ea ſunt quædam res, quæ copulam globulorum ſanguinis turbare & diviſionem *globulorum ſex ſeroſorum*, quibus iſti componuntur, a ſe ipſis multum promovere videntur; uti præ reliquis *lauri aqua* eſt, quæ craſſamentum multo minus denſum efficit & inſigni ratione molliorem teneerioremque naturali reddit, atque ſerum rubro vel vini burgundici colore tingit, ut ex curioſe tentatis *D.* NICHOLLS (*) & *D.* LANGRISH' (**) apparet experimentis. — Serpentis *Hæmorrhois* dicti ictus (***), tantam ſanguinis inducit diſſolutionem, ut per omnes corporis partes, per *poros* quoque ipſos erumpat, & *hæmorrhagia univerſali* necet. Fortaſſe fieri poteſt, ut ſudores profuſi, diarrhœa, diabetes, & ſalivatio ſpontanea ortum ſuum trahant a diſſolutionis ſeroſorum globulorum genere. — Protractus & largior

(*) Vid. D. MEAD of Poiſons III. Edit. p. 270.
(**) Vid. ejus experiments on Brutes.
(***) Vid. LUCANUS, DIOSCORIDES, NICANDER in Theriacis, D. MEAD of Poiſons.

gior mercurii uſus totam ſanguinis maſſam in meram aqueam mutabit colluviem.

Hic vero, uti in antecedentibus propoſui, diſſolutus & corruptus globulorum ſanguineorum ſtatus, generatim eſt acrimoniæ effectus. Sal volatile oleoſum cum ſanguine recens emiſſo commixtum, deſtruit aut diſſolvit globulos in minore, quam minutæ ſpatio: (*) Spiritus cornu cervi larga aſſumta quantitas, producet hæmorrhagias (**); ſic quoque crebrior & largior aloeticorum doſis, ut ſæpius obſervavi, illud efficiet. — Talis ſanguinis ſtatus plerumque profecto inducitur per acrimoniam diætæ, remediorum, cæteraque. — Sic ſale condita & ſemiputrida navigantium cibaria longis in itineribus tantam humorum acrimoniam & corruptionem efficiunt, ut illos ad communes vitæ uſus fere inutiles reddant, cum magnam debilitatem, languorem, vagos & capitis dolores, ſpiritum fœtentem, gingivas ſpongioſas, corroſas, maculas nigras, cœruleas & lividas, ſordida, nigricantia, ſubfuſca & fungoſa ulcera, gangrænam, cæteraque producant, atque tales ſcorbuto laborantes ſæpius febribus petechialibus, dyſenteria cruenta, hæmorrhagiis cæteriſque afficiantur. Quod reverendus *M.* WALTER in libro ANSONI *itinera* inſcripto refert, admiratione eſt dignum; ſcilicet, ſanguinem ex hominum quorundam ſcorbuto affectorum vulneribus cicatrice jam per viginti vel triginta annos obductis erupiſſe. — Varias navigantium cohortes perfecta in ſanitate iter longum iniiſſe vidi, quæ vero poſt duos aut tres menſes

(*) Vid. LEVVENHOECK Epiſt. ad CHRISTOPH. VVREN. Arcan. Natur.

(**) ARBUTHNOT of Diet. p. 106.

revertentes valde morboſæ & ſcorbuto erant de-paſtæ, tertia illorum pars ſemiputrida & prorſus ad uſus deprehendebatur inutilis. — Quatuor aut quinque circiter hebdomadas iter fecerant, cum alter poſt alterum & deinde integræ decades cor-riperentur, donec tandem totius cohortis vix di-midia pars officio ſuo præeſſe poſſet: ſpeciatim de claſſe, cui ante aliquot annos præerat MAR-TIN, recordor, nos uno eodemque tempore fe-re 1200. homines ſcorbuto laborantes habuiſſe, licet admodum ſani naves conſcenderent & cir-citer poſt duodecim aut tredecim hebdomadas redirent. (*)

Qui corpus ſuum ita adſueverunt, ut copioſa volatilia, fixaque alcalina ſalia, ſpecies & aloeti-ca aſſumant, nunquam non his morbis erunt ob-noxii. — Eorum haud pauci, qui illo *mixto alca-lino ſaponaceo* matronæ STEPHENS & ſimul *ſapo-nis lixivio* per longum temporis ſpatium utuntur, in hecticum calorem, gravem ſcorbutum, hæ-morrhagias, dyſenteriam cæteraque incidunt. — Cujus rei exemplum notatu dignum nuperrime nobili cuidam viro ex provincia *Cornubiæ*, qui per aliquot annos veſicæ calculo laboraverat, contigit. — Ipſi erat naturalis corporis conſtitu-tio

(*) Quam ob rem diſſertationem compoſui de ſcor-buto inter nautas præcavendo, quam variis cum navigantium præfectis & militum chirurgis com-municavi. Deinde illam edidi in commentariis, in-ſcriptis *General Evening Poſt*, menſe Octobri 1747. Poſtea iterum inſerebatur iſtis commentariis *Gentle-mans Magazin* &c. menſe Octobri 1747. — Cum tandem ea, quæ propoſui, ab eo tempore non ſi-ne magno ſucceſſu tam inter milites, quam pira-tas tentata fuerint, ego vero de eorum utilitate ſim perſuaſus certiſſime, ea iterum hic ſuaſi. vid. Tom. III.

tio tenera, & lixivio illo cæteriſque uſus erat per nonnullas hebdomadas, donec porro ejus gingivæ inſigniter ſpongioſæ, inflammatæ & lividæ, tandemque ſumme doloroſæ & ita putridæ redderentur, ut parum abfuiſſet, quin caro diſrupta fuiſſet cum maximo levamine; copioſum leviſſimo corporis nixu effundebat ſanguinem, & tenuis *ichor* ſanguineus ex ipſo perpetuo effluebat. Maculæ quoque apparebant lividæ & femora ejus cruraque in primis vehementer dolentia rubicundi aut potius lividioris erant coloris, ita ut plenaria extimeſceretur deſtructio. Qua de re me conſuluit *Dom.* HINGSTON pharmacopæus *Penryn* vivens ſatis peritus, qui hunc caſum retulit.—Ego vero ſtatum humorum *alcaleſcentem*, putridum & ſanguinis diſſolutionem ex medendi via, quam perſecutus erat, & ſymptomatibus, quibus nunc afficiebatur, cognoſcens, ipſi decoctum atque extractum corticis peruviani cum elixirio vitrioli & cum diæta potionibuſque ſubacidis ſuadebam; quæ ſubito inflammationem, tumorem ſanguiniſque profluvium ex gingivis tollebant, atque majorem lividi pedum coloris, paucis diebus diſparentis, progreſſum cæteraque avertebant.—Poſt duas aut tres circiter hebdomadas multæ rubræ ardentes puſtulæ in ejus ſumma cute erumpentes aliquam utilitatem promittere videbantur.—Nihilo tamen minus morborum implicatione ad ſummam debilitatem & confirmatam hecticam perductus poſt quatuordecim circiter dies aut tres hebdomades tabidus omnino moriebatur.—Cujus *ex veſica* poſt mortem *magnus extrahebatur calculus*, piri figura ac pondere octo unciarum & drachmæ ſemis. Veſicæ collo pars inſedit acuminata.

Ex

Ex tentatis experimentis (*) cum urina eorum, qui lixivio iſto aut remediis matronæ STEPHENS ſatis large uſi ſunt, procul dubio apparet, urinam fieri alcalicam indeque pari modo ſanguinis ſerum, ex quo illa ſecernebatur. — Hoc profecto eſt magni ponderis argumentum, quod vim *lithontripticam* & *diſſolventem* comprobat remediorum; cum illa in calculis humanis ex corpore deſumtis in illiſque maceratis indubium edant effectum. — Simul vero exiſtimo, illa nobis cauſſas ſuſpicionis afferre juſtas, fore ut effectus longiorem eorum uſum conſequantur periculoſi, in nonnullorum præcipue corporum conſtitutione teneriore.

Sal volatile alcalinum cum ſanguine mox e vena miſſo, vel potius cum ſanguine ipſo ex vena profluente commixtum, quo minus concreſcat impedire, neque ejus ſeparationem in craſſamentum & ſerum, ut alias fieri ſolet, permittere, ſatis notum eſt; experimentum haud difficile eſt tentatu, & quilibet iſtud verum & comprobatum inveniet. Hoc pari ratione ſanguis ex cruentis & ſcorbuto affectis corporibus miſſus demonſtrat, atque ita quoque plurimorum hominum febre putrida petechiali laborantium ſanguis mox ab initio morbi emiſſus.

Omnes corporis humores re vera putreſcunt & fiunt alcali forte, atque ſanguis putridus amittit ſuam conſiſtentiam, & paulo poſt ſuum colorem, dum mutatur in flaveſcentem nigricantemque ſaniem. — In quibuſdam gravioribus putridis, petechialibus febribus detractus idem demon-

(*) Vid. hac de re tentata *D.* HARTLEY, RUTTY, *D.* MORAND, aliorumque experimenta.

monſtravit phænomenon ſanguis (*) qui mox poſt ejus detractionem non minus, quam urina recens emiſſa, vere fœtidus fuit obſervatus: ut ita vita adhuc ſuperſtite augeretur putredo. Corporum febribus peſtilentialibus petechialibus mortuorum ingens & cita corruptio hoc ſimili ratione probant: talem cadaverum faciem (corpſe air), prouti appellatur, citius quam in ſeptem vel octo horis vidi, quæ mortuis corporibus conſueto more in ſeptem vel octo diebus accidit (**), atque per omnia corporis emiſſaria effluebat ſanies putridiſſima: — quod, in tranſitu ſit dictum, rationem offert, cur homines talibus febribus mortuos cito ſepelire oporteat.

Venenorum varia genera, ut eſt ſpeciatim *viperarum morſus*, atque variorum aliorum venenatorum animalium valde repentinam corruptionem & ſanguinis diſſolutionem excitant, eumque in ſaniem vertunt flaveſcentem: ſic peſtilentiales vapores ſubito ſanguinis deſtruunt craſin, atque univerſalem quandam humorum ad gangrænam proclivitatem inducunt. — Quod ex frequentioribus & mortiferis hæmorrhagiis, ſudoribus fœtidiſſimis, vomitu & dejectionibus alvinis atque ſubſequente generali necroſi evidentius apparet, quæ a præſtantiſſimis autoribus in peſte & peſtilentialibus febribus fuerunt obſervata. (***) — Hæmorrhagiæ ſpeciatim in peſte haud raro ſunt profuſiores & pertinaciores; idque nonnunquam in peſti-

(*) Vid. van der MYE de morbis Bredanis. — MORTON Pyretholog. Prolegom. p. 26.

(**) Vid. Obſerv. de aere & morb. epidem. Vol. I. *Martio* 1735.

(***) Conf. in primis DIEMERBROEK, HODGES, & auctores libri, cui inſcriptio, Traitè de la Peſte, Par Ordre du Roy. Paris 1744. 4to.

peſtilentialibus petechialibuſque febribus annotavi; atque ſanguis tunc profluens non, ut alias, concreſcebat. (*) — Quæ cuncta ſanguinis acrimoniam & diſſolutionem indicant.

Variolarum contagium nonnullorum corporum conſtitutionem ſimili fere ratione afficere videtur, cum maculas, putredinem, magnaſque ſanguinis variis ex corporis partibus profuſiones, interdum quoque uno eodemque temporis momento producat. — Morbi hujus varia mihi occurrere exempla, ubi intra quatuor aut quinque dies a morbi origine maculæ purpureæ per ſummam totius corporis cutem in conſpectum prodibant & hæmorrhagiæ variis ex partibus profuſiores ex utero ſpeciatim, viis uriniferis & naribus prorumpebant; puſtulæque prorſus nigræ factæ ichorem cruentum copioſum plorabant; idque accidit ſine ullius generis ſymptomate vehementiore antegreſſo. — Ante quatuordecim circiter annos puella nobilis R-n, quinque annos nata, tali variolarum genere afficiebatur; quæ vix inſigni cum febre, dolore, ægritudine aut alio quodam ſimili erumpebant, aſt maculæ eodem temporis momento valde latæ, lividæ & nigræ apparebant. — Paucæ tantum erant variolæ, quarum variæ circa labia, interiorem malarum partem & linguam admodum nigræ factæ ſanguinem large ſatis profundebant. — Animi deliquio levi ſæpius corripiebatur & mox iterum ad ſuos luſus reverti cupiebat infans. — Tandemque ſanguinem multo floridiorem cum aliquo nigro concretoque per alvum reddebat, atque ſenſim ſenſimque nono a primo morbi impetu die placidam mortem occumbebat.

Tri-

(*) Traité de la Peſte, Part. I. p. 343.

Triſtem nuperrime hujus generis caſum in juniore quadam fœmina nobili B - y vidi, quæ mox ante variolarum ingreſſum tempeſtate admodum calida, ambulando, ridendo, ſaltando cæteriſque ſeipſam defatigaverat. — *Variolarum verarum* multis millibus erat obſita, quibus magna cœrulearum nigrarumque macularum interſperſa erat copia, quæ in ſumma totius ejus corporis cute tertio a primo morbi impetu die erumpebant, ejuſque femora & crura apparebant omnino purpurea; ex ejus gingivis & naribus large ſatis manabat ſanguis, nihilo tamen minus eodem tempore magnum catameniorum profluvium ſex dies ſtadio ordinario citius experiebatur. — Die a morbi impetu ſexto moriebatur. — Pectus ejus incredibili pondere ab initio uſque ad finem erat oppreſſum, quod maxima anxietas, animi deliquia crebriora, & pulſus celerior, formicans ac debilis comitabatur.

Nunquam ſane non prognoſticon eſt mortiferum, ſi quando maculæ & hæmorrhagiæ in vera variolarum eruptione apparent, & æger raro aut nunquam ad nonum morbi diem uſque vitam trahit; cum ſanguis ſine mora in diſſolutionem & putredinem ruat. Rebus ſic ſe habentibus ex mille ægrotis, ſi in primis maculæ valde lividæ, nigræ & copioſæ ſunt, vix unum priſtinam recuperare ſanitatem, ſum perſuaſus. — Quod ſi quid in his deploratis caſibus eſt faciendum, id fieri debet uſu tempeſtivo & convenienti *acidorum*, *corticis periuviani*, & alexipharmacorum adſtringentium, quæ profecto in febribus petechialibus cum hæmorrhagiis egregium edunt effectum. — D. MEAD in elegantiſſimo ſuo tractatu de *variolis*

lis & *morbillis*, (*) cur ab horum remediorum uſu in cruentis & petechialibus variolis ſperare poſſimus effectum expectatum, methodique illa adhibendi reddidit rationem.

Igitur hic ſanguinis diſſoluti ſtatus ſæpiſſime in putridis malignis evenit febribus, a contagio frequenter obortis: interdum vero merus eſt effectus febris homines corripientis ſanguine humoribuſque acribus repletos, qui caſus *ſcorbuti* eſt *maximi*. Prius ſimili quadam ratione ut viperarum venenum vim ſuam ad ſanguinem vertit; poſterius in ſanguinis globulos agit ſpicularum ſalinarum robore, quod nunc per motus febriles & ſanguinis efferveſcentiam multum augetur. Sic tumor inflammatorius in hominibus, quibus bona, blanda, ſanaque eſt conſtitutio, ſuppuratione *pus bonum & laudabile*, in acrium autem humorum ſtatu vel *gangrænoſam ſaniem* vel *ichorem cancroſum* exhibet. Quid caloris actio & motus animalis ratione ſalium in animalium humoribus efficere poſſit, in illis, qui fame necantur, eſt perſpiciendum: quod ſi enim ſaniſſimum hominem omni cibo & potu privas, ſalia continuo magis magiſque fiunt acria: donec tandem febris, delirium cæteraque magna eorum irritatione excitentur, quæ ſubito univerſali putredine & morte terminantur. — Qua ratione putredo hæc humorum augeatur, in *ſana nutrice* cernere poteris, cujus lac horis nonnullis poſt paſtum præterlapſis album, tenue, dulce & gratum erit; ipſi per ſedecim aut octodecim horas indicas jejunium, & lac obſervabis craſſum, flavum, ſalſum & ingratum: porro illa per aliquot horas diutius abſtineat, & lac fiet obſcurius, flavum, nauſeoſum &

quo-

(*) Cap. III. de variolarum curationibus.

quoque fœtidum; atque hæc cuncta eo magis incidunt, ſi fortaſſe febre quadam laborat, ita, ut loco lactis materia quædam proveniat cruenta.— Cum hæc humori maxime aceſcenti & blandiſſimo corporis humani contingant, quid bili, lymphæ cæteriſque contingere poſſe putas?

Ubi æſtus & attritus ſanguinis ſunt valde fortes, ejus putredo mirum in modum ſubito procedit. Hoc ex BOERHAAVII experimento (*) cum cane tentato apparet; cum enim ille calefactam in cameram, qua panes ſaccharini conici exſiccantur apud depuratores ſacchari, eſſet incluſus, tota humorum maſſa paucis minutis ita corrupta fuit, ut intolerabilem ſpargeret fœtorem, & adeo diſſoluta, ut ipſa *ſaliva rubella* & terribili fœtore adeo fieret infeſta, ut vir fortis, ad hoc experimentum adhibitus, animi corriperetur deliquio.

Animalium humores in putredinem & diſſolutionem naturaliter ruunt, niſi impediuntur & corriguntur alimentis acidulis; diæta mere conſtans ex carne, piſcibus, aromatibus & aqua, cito valde inducet febrim putridam.— Panis non ſolum eſt vitæ pabulum, ut nutriens, ſed quoque ut ſuccos alimentorum putreſcentes per ejus qualitatem acidulam corrigens.— Hiſpani & Galli hic captivi immoderatam & inconſuetam carnium quantitatem edendo tali periculoſa correpti ſunt febri, ut iſta morti traderentur plurimi.— Illius autem tam fuerunt avidi, ut carnis bolum quaſi ore adhuc tenentes ſæpius perirent.

Sed hæc de acrimoniæ alcalinæ generatione in ſanguine ſufficiant: quod ſupra propoſui, nunc addam; ſcilicet quibuſdam in caſibus id apparere vide-

(*) Vid. BOERHAAVII Chemia. Tom. I. Cap. de igne Experiment. XX. Coroll. 16.

videtur, ut ſalia animalium alcalina tam ratione globulorum ſanguinis, quam minimorum vaſculorum ipſa vita adhuc ſuperſtite reddantur volatilia, corrodentia & deſtruentia.—Itaque, quando olea animalia inſigniter exacerbantur & rancida fiunt, tunc ſeſe cum ſalibus iſtis uniunt & valde deſtruentem diſſolventemque efficiunt ſaponem, ad bilis putridæ naturam accedentem, qui cuncta corrodit & diſſolvit vitæ principia.

Quemadmodum autem ex altera parte acris ſanguinis ſtatus cum nimis adſtrictis rigidis fibris & *lentore inflammatorio* conjunctus eſſe poteſt; ſic ex altera eum *tenuioris diſſoluti ſanguinis ſtatus* & *debiles laxæ fibræ* comitari ſolent.

Fingamus pro acrimonia contagium, (nam illud ſimili modo agit, & incidit, ut talem ſe præſtet,) atque nos hæc in variolis exemplis ſatis accommodatis invenimus comprobata: ubi morbum viſcidus valde ſanguinis ſtatus, febris inflammatoria ſumma, vehementiores dolores acuti, ſymptomata peripneumonica, phrenitis ſimiliaque comitantur: interdum e contrario is obſervatur ſimul cum tenui diſſoluto ſanguine, cum lente repente, vel debili & celere pulſu, cum ſymptomatibus nervoſis, tenui cruda urina, variis illiſque profuſis hæmorrhagiis, parvo aut nullo dolore, tumore, ægritudine aut alio ſimili. In priori caſu febris nimium exacerbatur & ægrotum conſumit; in poſteriore non ſufficit febris, ut plenarie expellat & maturet puſtulas, ſed illæ ſeſſiles crudæ & minus coctæ relinquuntur; unde tandem tota ſanguinis maſſa in putridum corrodentem ichorem aut ſaniem ruit gangrænoſam.

Alia ratione hanc rem conſideremus.—Homines, quorum ſanguis tenuior & acrior erat, febri-

bribus *pulmonaribus* vel pleuroperipneumonicis, quæ magno cum inflammationis gradu erant conjunctæ, affectos aliquoties vidi. — Hoc ſæpius navigantibus ſcorbuto affectis contingit.

Annis 1740. & 1745. ingens plebis copia afficiebatur horrore, quem calor magnus, febris, ſpirandi difficultas, tuſſis pertinax laborioſa, dolor pectoris, dorſi, laterum atque haud raro capitis & temporum acutus lancinans excipiebat. His ſæpius erat pulſus velox, durus, & quaſi, ut ita loquar, *concentratus*; ſpiritus ore emittebatur fervidus & infeſtus, atque materia exſcreata interdum erat tenuis crudaque, & interdum colore croci luteo; ſed multo frequentius exſpuebatur tenuis, liquida, cruenta materia, haud raro valde fœtida & nonnunquam ita acris, ut magnam raucitatem, aſperæ arteriæ pectoriſque ægritudinem ſæpeque harum partium excoriationem efficeret. Quorum ſanguis e venis miſſus aut colorem obſcure lividum monſtrabat, pellicula tenui plumbi vel viridis coloris obtegebatur, aut interdum (prima ſpeciatim in ejus detractione) omnino erat floridus, attamen illo frigefacto fluidioris laxioriſque conſiſtentiæ; quod ſingulare phænomenon ſæpius admirabantur chirurgi vel pharmacopœi, qui ſymptomata perpendentes prorſus aliud expectabant phænomenon. Nihilo tamen minus nonnullorum hac febre affectorum detractus ſanguis corio ſatis craſſo atque tenaci obtegebatur, non, ut alias conſueto more in pleuriticorum aut pleuroperipneumonicorum ſanguine fieri ſolet, albeſcente flavo, ſed colore ad illum *onychis* accedente, aut illo gelatina *ribeſiorum rubrorum* paulo dilutiori. — Quem corii in ſanguine colorem mali eſſe ominis, conſtanter obſervavi; idque ut

puto eam ob rationem, quoniam illud non minus magnam viſciditatem, quam quoque ingentem acris ſalis in ſanguine quantitatem indicat, quod ejus globulos diffringit & in ſtatum putridum diſſolventem conjicit: diffractis enim a globulis glutine inflammatorio involutis hoc evenire videtur phænomenon. Quodſi ſalis volatilis alcalini quid cum ſanguine hominis pleuritide ſumma affecti commiſcetur, dum is ex vena effluat, pars craſſamenti ſuperior non parum cum eo conveniet, quod mox de ſanguine retuli: atque id porro notatu eſt dignum, talis ſanguinis ſerum ſæpius habere *colorem ſanguineum*, talem fere, qualem vinum burgundicum; & hoc profecto ſero ſanguinis alterius generis contingit, licet illud interdum tantum colorem obſcure luteum oſtendat. In urina plerumque profundi admodum & obſcurioris nonnunquam coloris lividum quid plumbi colore tinctum ſubſidebat, illaque parca in quantitate generatim reddebatur. Levis, inæqualis & partialis ſudor ſpeciatim circa faciem & caput erumpebat, quamquam ille interdum inſtante mortis tempore profuſus valde & colliquativus erat. Maculæ lividæ aut nigræ frequenter circa morbi ſtatum apparebant, atque exiſtimo, has raro aut nunquam fallaces eſſe mortis nuncios. Aphthæ nigræ & caſtanei coloris verſus finem erumpentes non melioris erant præſagii. Interdum vero urens, pruriens totius corporis exanthema febrim finiebat; atque interdum illa puſtularum copioſarum fœdarum & exulceratarum eruptione in nucha, humeris, & brachiis, in primis autem circa nares & labia terminabantur.

Sed de hoc genere febris peripneumonicæ & de methodo ei medendi infra pluribus agam. —

In præſens tantum admoneam, eodem tempore, quo hæc peripneumonia maligna, ſi ita nominare licet, *Plymuthi* atque in ejus vicinia graſſabatur, pleuritidem, peripneumoniam & pleuropneumoniam ubique fuiſſe epidemicas & quidem in genere indolis vere inflammatoriæ, quæ ventis frigidis & ſiccis aquilone & favonio per longum tempus ſpirantibus excitabantur. — In his ſanguis admodum denſus & glutinoſus plerumque corio craſſiore albo aut flaveſcente obtegebatur; atque ægrotus commode & cum levamine detractionem ſanguinis ad quadraginta & plures interdum uncias perferebat: cum tamen ſanguis in *febre pulmonica maligna ita eſſet, ut ſupra propoſui*: &, ſi is inſigni cruſta obtegebatur, *ſupra memoratum monſtraret phænomenon*; atque ægroti poſt primam vel ſecundam ſanguinis detractionem mirum in modum debilitarentur: idque ſane nonnunquam maxima cum cura mea atque ſollicitudine; cum tamen pulſus durus, magnum pectus opprimens pondus, laterum dolor pungens & pertinax tuſſis tantum mihi valere viderentur, ut illam ſuaderem. — Porro licet illud, quod hi exſcreabant, ſatis largum, crudum, tenue, vel, quod crebrius fieri ſolebat, ſaniei cruentæ ſimile eſſet, nullo tamen modo levabantur, cum e contrario, ſi large & libere exſpuebant, levamine afficerentur maximo.

Porro vero notatu mihi eſſe videtur dignum, *uno eodemque horum binorum morborum tempore, contagioſam, putridam, petechialem febrem* in & circa hanc urbem admodum fuiſſe communem, in primis vero illa nautæ, captivi & illi, qui cum iſtis verſabantur, afficiebantur; atque huic hominum generi ſolenne erat, ut *febris maligna pulmonica* inter illos ſæviret. — Ita ut peripneumonia con-

ſueta inflammatoria cum febre petecliiali contagioſa videretur eſſe conjuncta: cum ſanguis *effluviis contagioſis* tali ratione, ut *ſalibus acribus* afficeretur, ejuſque perturbaretur craſis. — Nos frequenter peripneumonias hujus generis ab acri humorum ſtatu illorum, qui illis affecti ſunt, dependentes invenire, veriſſimum eſt.

Nunc occurrunt febres, quæ lentorem inflammatorium cum majori acrimoniæ gradu conjunctum aut cum aliquo effluviorum venenatorum diſſolventium genere mixtum habent. — Sæpius vero aliæ inveniuntur, in quibus ſumma humorum acrimonia ſimul cum laxo nimis vaſorum ſtatu & leviter nimis cohærentibus ſanguinis globulis adeſt: quod haud raro in febribus petecchialibus, illis in primis fieri ſolet, quas comitantur hæmorrhagiæ.

Hic autem hiſtoriam talis referre ſit licitum, quam ſeveriſſimam fuiſſe exiſtimo, quam unquam homo morbo ſupervivens pertulit: — idque eo magis, cum ſpeciatim methodum huic medendi proponam, quam non hoc in caſu ſolum, ſed quoque in variis aliis, natura quidem ſed non gradu ſimilibus fuiſſe utiliſſimam, ſum expertus; & quam unicam illis convenientem eſſe, quantumvis a conſueta curandi ratione differre videtur, mihi perſuaſum eſt.

Oppidi cujuſdam vicini egregius chirurgus gracilis & tenera admodum corporis conſtitutione, ſed negotiis & exercitationibus conſtanter agitatus, febribuſque ſæpius & rheumatiſmis ſcorbuticis affectus, ob refrigerium cæteraque menſe Octobri anni 1741. lentæ febris quodam genere cum levi rigore, crebriore caloris rubore, pulſu celeri & debili, virium & appetitus defectu, ma-

magno pectoris pondere, & quadam ſpiritus trahendi difficultate corripiebatur. — Nihilo minus per quatuor vel quinque dies poſt hunc impetum in negotiis ſuis fungendis, equo vehendo, ſeque ipſum defatigando pergebat. Viri cujuſdam nobilis in domo, ubi ægrotus meus commorabatur, ipſum inveniebam; &, cum ego illum, ut ſupra memoravi, deprehenderem, ut ſui ipſius tempeſtivam & juſtam haberet curam, ſerio admonebam. — Duabus diebus poſt, cum virum quendam nobilem in vicinia viſitaret, ſubito animi deliquio inſigni correptus ſella decidit: ipſum erigentes varias lividas & violacei coloris maculas in brachiis colloque ejus obſervabant. Non ſine maxima difficultate transferebatur domum, licet enim tantum duo aut tria diſtaret milliaria, in itinere tamen crebrius animo delinquebatur. — Omni temporis momento morbus augebatur, languor cum dolore aderat ſummus, præcordia ejus opprimebantur maxime & in perpetuum ſuſpirabat; — ejus ſpiritus nunc intolerabiliter olebat, & ex gingivis materia cruenta fœtida continuo effluebat, atque macularum lividarum, violacearum & nigrarum in ſumma cute non tantum ejus corporis & trunci ſed & femorum apparebant multa millia.

Sanguis ex brachio ad duodecim circiter uncias ipſi detrahebatur, aſt hoc nullum afferebat levamen: pectoris oppreſſio, ſuſpiria, animi deliquia & anxietas tam male quam antea pergebant, quid? quod multum increſcebant; — violens itaque hæmorrhagia ex ejus naribus prorumpebat; cumque hæc ex utriſque orificiis continuaret, iterum ſanguis ad decem circiter uncias duodecim horis poſt primam detractionem emittebatur: —

neque hoc ipſi ullum afferebat ſolatium, ſed ejus debilitatem inſigniter augebat, & anxietas, irrequies & oppreſſio, ut alias, ſine ullo etiam ſomno continuabant. Nunc non ſolum ex ejus gingivis & naribus profluebat ſanguis, ſed tuſſi quoque eum rejiciebat.—Sanguinis quidem profluvium ex naribus aliquo modo ceſſabat, ſed mirum in modum ex ejus gingivis augebatur. Simili nunc, licet lento modo ex ejus altera oculorum caruncula guttatim profluebat, & puſtulæ quædam linguæ ac partis interioris labiorum diſruptæ copioſam, cruentam tenuemque materiam emittebant.

Hæmorrhagia aliquo modo cohibita, dyſenteria cruenta, cum ſeveris excitabatur torminibus, & æger ingenti animi deliquio ſemperque irrequietus magna afficiebatur febre: ejus pulſus per ſex aut ſeptem intervalla intermittebat & tunc iterum agitabatur celerrime; ſimili modo perpetuo movebatur tremore & ſubſultu.—Per omne hoc temporis ſpatium ex una vel altera parte continuabat hæmorrhagia & alio loco cohibita in alio mox erumpebat; ita ut ejus urina admodum obſcura, immo fere nigra, ſanguine nunc tincta eſſe videretur. Mox poſt alteram ſanguinis detractionem ego vocatus ad eum currebam.—Ratione deſcripta iſtum incredibili anxietate oppreſſum, attamen a deliriis liberum inveniebam, licet varias per dies & noctes ne ullo quidem ſomno eſſet refectus; lingua ejus tota erat nigra & ſpiritum adeo intolerabiliter fœtentem emittebat, ut quoque ſpatio ſatis remoto valde modeſtus eſſet; atque ejus dejectiones adeo terribilem fœtorem nauſeoſum ſpargebant, ut ipſa ejus miniſtra, quæ illas re-

move-

movere volebat, vomitu & animi deliquio afficeretur.

Sanguinis nullam (neque etiam primum) emiſſam partem in craſſamentum & ſerum, uti alias fieri ſolet, fuiſſe ſeparatam, reperiebam, licet plures per horas in quiete eſſet relictus primum emiſſus ſanguis; ſed ſemi quaſi concretus colorem in ſuperficie retinebat lividum cœruleſcentem:— leviſſimo attactu dividebatur facillime, & purulentæ ſaniei, quæ ſimul pulverem in fundo fuliginoſum offerebat, quam ſanguini erat ſimilior. Sanguinis hæc profluvia in primis ex lingua, labiis & gingivis cum perpetuo tenuis cruenti ichoris ſtillicidio ex naribus ſemper pergebant; ita, ut æger a tremore tendinumque ſubſultu, nunquam ceſſantibus, atque perpetuo fere animi deliquio ſumme debilitaretur.

Quid in tam triſti caſu erat agendum? num ipſi calida alexipharmaca, volatilia, cardiaca & veſicatoria profuiſſent, prouti nonnulli ejus ſummam debilitatem, animi deliquia, pectoris oppreſſionem, tremores cæteraque conſiderantes, putare potuiſſent? ſed nonne hæc fuiſſent deleteria certiſſima? nonne illa ipſum certiſſime occidiſſent? cum iſta acrimoniæ ſtimulanti addita febrim adauxiſſent atque craſin ſanguinis, jam fere prorſus diſſoluti & in *cruoris putridi* genus redacti, magis deſtruxiſſent.

Ego vero hæc perpendens atque inſignem corticis peruviani utilitatem (*) in avertendo & cohibendo gangrænæ progreſſu ex repetitis experimentis ſæpius cognoſcens, poſt parvam rhabar-

(*) Siquidem corticem olim cum ſucceſſu in febribus petechialibus malignis anni 1735. exhibui. Vid. Obſerv. *de aere & morbis epidemicis* menſe *Majo*.

bari quantitatem præmiſſam, illum parva in doſi cum vitrioli elixirio frequentius ægroto exhibui. — Præter ea cinnamomi aquam cum roſarum tinctura ſatis acidam redditam, atque ita quoque decoctum ex corticibus aurantiorum Hiſpanienſium, roſis rubris, cinnamomo, admiſta pauca terra Japonica (ut vocatur) paratum ac bene acidulatum bibebat: vinum clarificatum (*Claret*) & Portugalenſe rubrum cum parte aquæ dimidia grati ſaporis cauſa hauriebat. Cum cortex ipſi bene conveniret, ejus uſu pergebam & quantitatem ejus auctam aliqua cum parte confectionis FRACASTORII ſine melle dabam, ut fluxum dyſentericum cohiberem; — nihilo tamen minus parvam interdum rhabarbari doſin interponebam, ut cruentam, bilioſam aut ſanioſam materiem in inteſtinis fortaſſe hærentem vel ad illa affluentem, removerem. Tempore intermedio ut ipſum oryza, panatella *ſagu atque gelatina* cornu cervi bene acidulata & pane toſto ac in vino clarificato vel vino rubro Portugalenſi macerato crebrius reficerent, jubebam. Atque, ut fomenta ex aromatibus & adſtringentibus parata ac in vino rubro cocta toti abdomini frequenter applicarentur, imperabam.

Hac methodo indeſinenter continuata, miſer iſte ægrotus, Deo juvante, ex ſtatu univerſalis quaſi putredinis ereptus optime reſtituebatur: præter id, quod per inſigne temporis ſpatium poſt febrim prorſus abactam gravior aliqua ſupereſſet debilitas; & tunc quoque, cum ambulare valeret, leviſſima data occaſione ex ejus naribus hæmorrhagiæ redirent, ejus gingivæ ſanguinem leniſſima frictione funderent, ejuſque ſpiritus diu ſatis eſſet infeſtus. — Corticis autem peruviani, elixi-

rii vitrioli cæterorumque uſu continuato cuncta hæc prorſus ceſſabant: — attamen femora & pedes multo diutius tumore afficiebantur inſigniore, atque caro ejus per totum corpus adeo mollis, tenera & irritabilis remanebat, ut attactum vix ferre poſſet leviſſimum. — Purgantia rhabarbarina, lenia ſtomachica chalybeata, elixirium vitrioli, aquæ pyrmontanæ cum convenientibus diureticis & moderatus corporis motus tandem omnia iſta removebant ſymptomata; atque duobus aut tribus circiter menſibus bonum ſanitatis recuperabat ſtatum, quo adhuc gaudet.

Æſtate atque autumno anni 1745. variæ tales cum hæmorrhagiis conjunctæ mihi occurrebant febres petechiales; nobilis ſpeciatim femina ex oppido *Antony* prope Plymuthum tali febre cum iiſdem fere, in caſu antecedente recenſitis, quamquam non adeo vehementibus ſymptomatibus afficiebatur. — Poſt profuſiorem ex naribus hæmorrhagiam ea immenſo ex utero profluvio laborabat; licet ejus tempus haud inſtaret, ex gingivis quoque ſanguis erumpebat, tandemque dyſenteria accedebat cruenta: Ante ſanguinis ex naribus eruptionem dura affligebatur phrenitide & inſigni macularum purpurearum nigrarumque numero ſumma totius corporis cutis erat obtecta, quarum nonnullæ nummi argentei ad minimum erant magnitudine. — Methodo medendi antea propoſita eam accuratiſſime tractabam, eaque reſtituebatur feliciter, licet poſtea ejus crura inſigniter tumida eſſent & per longum temporis ſpatium quædam remaneret debilitas. — Antea, quam ægrotam videbam, bis detrahebatur ſanguis; — primum emiſſum non perſpexi; hunc vero admodum floridum atque divitem (*rich*, ut nominabatur)

tur) ſed tenuiorem fuiſſe, parumque ſeri rubicundi exhibuiſſe, mihi retulit ægrotæ chirurgus, *Dominus* FREKE: ſecundum emiſſum perſpexi, qui colorem monſtrabat obſcure nigrum & tenuiore, tenera atque virideſcente obtegebatur pellicula.— Ejus urina per totum fere febris tempus vino albo aut potius vino pomaceo erat ſimilis, quæ diutius aeri expoſita nigro tingebatur colore; nihilominus tandem ſubſidebat farinacea quædam & obſcurioris coloris materia.

Hujus generis plerumque eſt febris gangrænam comitans, cum ſanguinem corrumpat eumque diſſolvat; ſaniei materia ex parte gangræna affecta, reſorpta & ad ſanguinis maſſam delata, univerſos humores in gangrænam pronos reddit, ſanoſque ſanguinis globulos rubros diſſolvit, inde maculæ, hæmorrhagiæ, linguæ nigræ, deliria, cæteraque ſuperveniunt. Febrim acutam, delirium, ingentem ſitim, odoremque ſpiritus fœdum comitari gangrænam, egregie obſervavit CELSUS (*); quæ cuncta corruptionis ſanguinis ſummaque acrimoniæ ſunt ſigna.—Exempli loco unicum tantum referam caſum, quem omnino ſingularem varias ob rationes exiſtimo.

Virgo Eliſabeth S-th ex pago *St. Germains Cornubiæ* annos circiter viginti quinque nata, cui erat conſtitutio tenera & malus corporis habitus, atque cui nunquam ordinaria profluebant catamenia, diebus ultimis menſis Maji anni 1742. dolore quodam pedis dextri prope digitos & totius cruris torpore afficiebatur; qui cum de hora in horam increſceret, *Dom.* DYER chirurgus *Looenſis* egregius advocatus, partem dolentem vini ſpiritu fricabat camphorato & quædam nervina & car-

(*) Lib. V. Cap. XXVI. §. 31.

& cardiaca ipſi exhibebat remedia. — Cum vero hæc nihil efficerent, ex decocto calido aromatico ita parabat fomenta, ut ejus reſiduum cum ſpiritibus, theriaca cæteriſque cruri & pedi applicaret, nihilominus partes ſubito diſcolores & frigidæ factæ omni carebant ſenſu. — Ego accedens, ut profundius concidantur partes, jubebam, quo facto nullus emanabat ſanguis, paucæ tantum ſanguinis prorſus nigri ſparſim & lente quidem piſi magnitudine propullulabant guttulæ; — cutis & caro femori ante aliquot dies jam abſciſſo erant ſimiles, licet hæc ante meridiem quarti a primo morbi impetu diei agerentur. — Veſicæ apparebant nullæ, neque poſtea ullus ex parte conciſa emittebatur fœtor, pus vel ſanies. — Corticem mox præſcribebam peruvianum cum elixirio vitrioli, confectione *Ralegh* & calido acidulo julapio, quod libere ſumebat, cum illa valde eſſet debilis. — Poſt meridiem femur ejus dextrum & pudenda violentus afficiebat dolor, atque mox febris, ſevera tormina & profluvium cruentum excitabantur, quæ ſubito ipſi cum perpetuo animi deliquio & vitæ diſcrimine debilitatem afferebant ſummam.

Nocte ſecuta valde delirabat ægrota, lingua ejus fiebat nigra & balbutiens, pulſus cum perpetua tendinum contractione & tremore perceler & debilis intremiſcebat. — Itaque cum cortex non tam convenire quam potius nocere videretur, ipſi tincturam corticis concentratam cum decocto FRACASTORII, elixirio vitrioli cæteriſque exhibebam, quæ effectum edebant multo meliorem.

In triſti harum rerum ſtatu per tres aut quatuor dies remanebat, quilibet adſtantium qualibet

hora

hora ejus mortem timebat; interea non ſerpebat neque unquam ſupra genu apparebat ſphacelus, licet vehementior, totum femur afficiens, dolor in ipſo præcipue ejus perioſteo ſedem ſuam habere videretur. — Tandem linea quædam obſcure livida circuli in modum in crure mox infra genu apparens, locum notabat, ubi natura mortuas a vivis partibus ſeparare moliebatur. Hæc ſeparationis nota quolibet die magis magiſque in conſpectum prodibat, & ad eam promovendam omnibus propriis remediis utebatur chirurgus: quæcunque enim rationes, ut membrum abſcinderetur, adeſſent, neque tamen ægrota, neque ejus amici illud permittere volebant. — In deplorato tali ſtatu, (cum mortua cruris pars a ſana quotidie putredine ſepararetur) uſque ad diem decimum quartum menſis Julii remanebat iſta miſera, quo eſcharam diſruptam & ſeparationem in genu articulo fere perfectam inveniens chirurgus, a ſano femore in ipſo articulo nullo fere cum dolore, abſque ægrotæ conſenſu & fere ejus ſenſu crus abſcindebat mortuum. — Quo facto quotidie convaleſcens diæta & remediis convenientibus in ſtatum ſanitatis tolerabilem brevi tempore reſtituebatur ægrota.

CA-

CAPUT VI.

De differentia inter lentam nervoſam & putridam malignam febrem.

HUic febrium conſiderationi finem imponere non poſſum, quin magnæ illius differentiæ inter *putridam malignam* & *lentam nervoſam febrem* faciam mentionem; defectum enim hujus diſtinctionis in curatione ſæpius maximis erroribus anſam præbuiſſe, certiſſime perſuaſum habeo, cum illæ quodam reſpectu inter ſe convenire videantur, licet natura ſua inter ſe vere differant. — Idque nunc eo lubentius ſuſcipio, cum illam differentiam non tantum, quantum ſufficiat, in diſſertatione mea *de febribus lentis & nervoſis*, (*) annotaverim. — Neque ego ullum auctorem, præter *D.* LANGRISH, in libro quem inſcripſit, *Modern Theory & Practice*, qui illud verbis effeciſſet expreſſis, novi.

Putridis malignis in febribus & petechialibus *ſanguinem*, *proprie ſic appellatum*, affici, ex illis, quæ ſupra ſunt propoſita, ſatis evidens apparere, exiſtimo; cum e contrario febres lentæ & nervoſæ ſedem ſuam præcipuam in *humoribus lymphaticis & nerveis* habere videantur. Humorum corruptio atque ſanguinis diſſolutio in illis ſummo in gradu obſervantur; ſed lentæ & nervoſæ febres in longum temporis ſpatium trahuntur, idque ſine ullis ſignis putredinis inſignioribus.

Porro binæ hæ inter ſe differentes febrium ſpe-

(*) Vid. Tom. I. p. 163.

ſpecies arte, ut ita loquar, per duo valde differentia diætæ, regiminis, cæterorumque genera excitari poſſunt, ſæpiuſque illis ipſis re vera producuntur. Calida, acria, ſalina volatilia & aromatica alimenta & medicamenta, aer admodum æſtuans cæteraque producere poſſunt putridam malignam: — E contrario frigidæ, aquoſæ, glutinoſæ, mucilaginoſæ res, ut cucumeres, melones, crudi fatui fructus, vappidi liquores, frigidus & nebuloſus aer, cæteraque lentas & nervoſas excitant febres.

Quod ſi fingere licitum eſſet, utraſque a contagio excitari, (quod plerumque fieri ſolet in febribus peſtilentialibus atque petechialibus & nonnunquam etiam ita in lentis & nervoſis fieri poteſt febribus,) actionem *effluviorum morbidorum* in illis compararem cum actione veneni viperarum, quod mox globulorum ſanguinis compagem afficit & deſtruit, atque valde ſubitaneam affert corruptionem. — Sed in his compararem cum canis rabidi *veneno*, quod lento tantum modo agit & præcipue *lympham* & *fluidum nerveum* afficere videtur, neque manifeſta putredinis ſigna, ad minimum non prius, quam in ipſo tragœdiæ fine, prodit.

Igitur cum binæ hæ febres origine ſua admodum differant, inde, quin earum effectus tantum in differentibus cognoſcantur ſymptomatibus, & valde differentem medendi methodum requirant, aliter fieri nequit. — Nihilominus alteram cum altera miſceri poſſe ſæpiuſque vere eſſe mixtam, pro certo habeo; ſcilicet, ſanguinis valde acris ſtatum cum valde debili & relaxato vaſorum ſyſtemate convenire poſſe, & hoc ſeſe non tanta cum violentia prodere, quam ſi vis movens & vaſa

vaſa ipſa fortiora atque magis elaſtica ac ad morbidorum acrium ſalium ſtimulum cæteraque ſuſcipienda ſint proniora, ideoque magis lente progredi, reor, licet pari ratione ſit mortiferum. — Febris ſubſequentis indolem, ubi cauſa morbi proxima eſt contagium, procul dubio quam maxime mutant differens fibrarum ſtatus præcedens & naturæ robur. — Ex harum febrium deſcriptione accuratiore multo clarius earum apparebit indoles & differentia.

CAPUT VII.

De febribus lentis & nervoſis.

A Febris lentæ & nervoſæ incipio deſcriptione, quæ accuratiſſime deſumta eſt a plurimis, qui hujus inſidioſi & periculoſi hoſtis fuerunt victimæ. Ægrotus in principio aliquo modo fit piger, & levem perſentiſcit horrorem ac tremorem cum errante repentino calore & univerſalis languoris ſpecie, ſimili illi, quæ poſt magnam ſentitur defatigationem: hæc ſemper comitantur tarditas aut abjectio animi, & major vel minor capitis gravedo, dolor aut vertigo; quæ ſubito ſequitur nauſea & omnium rerum tædium ſine inſigni aliquo ſiti, haud raro vero cum vomendi conatibus, licet præter phlegma inſipidum parum rejiciatur.

Etſi autem remiſſionis intervalla interdum per aliquot horas intercedunt, majori tamen cum vehementia, in primis verſus noctem recurrunt ſym-

ſymptomata: caput majori pondere vel vertigine afficitur, calor increſcit, pulſus fit celerior aſt debilis cum ſpiritus trahendi difficultate. — Capitis partem poſteriorem ſæpius afficit torpor vel dolor obtuſus & frigoris ſenſus, atque haud raro in vertice ad ſuturæ coronariæ longitudinem ſentitur gravis dolor; hunc illumque in capitis parte poſteriore generatim comitantur febres nervoſæ illoſque plerumque excipit quoddam delirium.

Quo in rerum ſtatu ſæpius per quinque aut ſex dies cum languida, pallida & triſti facie permanet ægrotus, qui non adeo ægrotare videtur, neque tamen valet; inquietus & anxius eſt, ac licet nonnunquam admodum ſomnolentus & languidus ſit, omni tamen plerumque deſtituitur ſomno; quamquam vero adſtantibus re vera dormire videtur, prorſus tamen hoc non ſentit, ſeque ita agere negat.

Pulſus per omne hoc temporis ſpatium eſt celer, debilis & inæqualis, nonnunquam formicans, nonnunquam per nonnulla minuta lentus, immo intermittens; atque tunc cum repentino oris rubore ſtatim fit celerior, ac hunc fortaſſe mox excipit mirum in modum quietus & æqualis; & ita hæc variant. — Calor & horror quoque ſunt incerti & inæquales, interdum genæ rubent, dum nares & aures frigent ac pars capitis anterior eodem tempore ſudore madet frigido. — Quid? quod ſæpiſſime fieri ſolet, ut inſignis oris rubor & calor obſervetur, quum partes frigeant extremæ.

Urina plerumque eſt pallida & limpida, ſæpius vino ad colorem vel cereviſiæ ſecundariæ ſimilis, ex qua vel nihil vel parum ſubſidet, vel id, quod ſub-

ſubſidet, eſt quædam materia lævis, furfuri ſimilis, inæqualiter diſperſa. — Lingua in principio raro aut nunquam ſicca vel diſcolor, interdum vero tenui albicante muco eſt obtecta; — tandem ea quidem ſæpius arida, rubra, & fiſſa aut corticis malorum aurantiorum colore apparet; hoc autem plerumque in ipſo morbi ſtatu aut ejus fine fieri ſolet; quam arida vero lingua & oris labia eſſe videntur, nihilo ſecius æger vix unquam de ſiti, etſi interdum de linguæ calore, conqueritur.

Circa ſeptimum aut octavum diem vertigo dolor aut gravedo capitis magis increſcunt cum perpetuo ſuſurro aut aurium tinnitu, qui ægrotum valde turbat & haud raro delirium excitat. Præcordiorum pondus, anxietas, languor magis urgent, ita ut ægroti vero animi afficiantur deliquio; quando ſe in primis erigere tentant, ſudor frigidus ſubito in fronte & manuum dorſo erumpit, (quanquam eodem tempore genæ palmæque manuum nimio æſtu ardent) & ſubito iterum diſparet. — Quod ſi nunc urina redditur pallidior & limpidior, ſimul cum tremore univerſali & tendinum ſubſultu certiſſime expectari poteſt delirium; delirium hoc raro eſt violentum, ſed quaſi mentis actionumque videtur eſſe confuſio, cum perpetuo ſibi ipſis obmurmurent & inter verba deſipiant: nonnunquam tantum expergiſcunt perturbati & confuſi, & ſubito ſui ſunt memores, ſed mox in obmurmurationem & ſomniculoſum iterum recidunt ſtatum.

Lingua ſæpius in morbi ſtatu, ſpeciatim pars ejus media fit admodum arida luteo cum margine in utroque latere, atque ſi æger eam ex ore emittere tentat, valde tremit. — Si quando lingua eo

tempore ſit humidior & ſputum accedit copioſius, ſignum ſemper eſt optimum. — Aſt ubi deglutiendi difficultas, perpetui ructus vel pectoris ſupervenit conſtrictio, ſymptoma eſt valde periculoſum, ſi præcipue hæc comitatur ſingultus.

Circa nonum, decimum aut undecimum diem uno impetu ſæpius profuſus erumpit ſudor, isque in partibus corporis extremis plerumque frigidus & viſcidus: dejectiones alvinæ tenuiores ſæpius eliminantur; utraque vero generatim ſunt colliquativa & valde debilitant. — Nihilominus cutis calida & humida in genere eſt ſalutaris, atque diarrhœa moderata ſæpius delirium & ad coma proclivitatem tollit.

Nunc cito decreſcit natura, partes corporis extremæ fiunt frigidæ, ungues pallidi vel lividi, pulſus arteriarum magis obtremiſcit, & ſub digitis repit, quam illos ferit, cum impulſus adeo debiles ſint & celeres, ut vix diſtingui queant: licet interdum mirum in modum lentus repat & ſæpiſſime intermittat. Ægrotus omnibus ſenſibus orbatus fit ſtupidus, acutiſſimo clamore & clariſſimo lumine vix afficitur, licet in principio horum impreſſio ipſum mire excitaret. Delirium nunc profundiore finitur comate, a quo ſubito oritur ſomnus æternus. — Alvi dejectiones, urina & lacrymæ invite profluentes citam denunciant diſſolutionem, prouti inſignis tremor & ſubſultus ſunt præſagia univerſalis convulſionis, quæ uno impetu vitæ diſrumpit filum. — Hoc vel illo modo ægroti e vivis tolluntur, poſtquam per quatuordecim, quindecim aut ſedecim dies, immo interdum multo diutius oblanguerunt.

Sub

Sub morbi finem ſurdi & ſtupidi fiunt omnes ægroti (nonnulli ſumme ſurdi), licet in principio nimis eſſent irritabiles, ita ut leniſſimus ſonus & lucis radius eos valde afficeret. — Quidam præ timore nimio mortem accelerare videntur, ubi ſub initium parum apparebat periculi; immo quidam ſomnum capere vix audent ob vanum timorem, ne in æternum prolabantur: & quidam ob ingentem perturbationem, anxietatem atque confuſionem, quibus in ſomno vel experrecti irritantur. — Ubi cum aurium abſceſſu finitur ſurditas, bonum generatim eſt ſymptoma: & tale quoque obſervatur, quando parotis ſuppurat, aut puſtulæ multæ circa labia & nares erumpunt.

Febrium lentarum & nervoſarum maximis pluſimiſque ſymptomatibus ſtipatarum hæc (tædioſa quidem, ſed ſatis accurata) eſt deſcriptio; qua ſymptomata eo ordine, quo naturaliter accedere ſolent, retuli: — atque hoc ſemper in quolibet morbo deſcribendo obſervandum eſſe, exiſtimo. — Plerumque fieri ſolet, ut homines nervis debilibus, habitu corporis laxo, & ſanguine tenui ea afficiantur; ſic quoque illi, qui magnas pertulerunt evacuationes, diuturna ſpirituum diſpendia, immoderatas vigilias, ſtudia, defatigationes & ſimilia; non minus illi, qui pluribus crudis inſalubribus alimentis & vappidis impuris uſi ſunt potulentis, vel qui diu in craſſo putrido aere fuere retenti; quorum denique vigor conſtitutionis ſalivatione, crebrioribus purgationibus, venere immoderata cæteriſque fuit diminutus. — Itaque manifeſtum eſſe reor, hunc morbum a ſolidorum ſtatu nimis relaxato, a ſanguine macro tenui, & *a lentore*

& *depravatione* (vapidity) *humorum lymphaticorum nervoſorumque* ortum trahere : — cui medendi vera hæc eſſe videtur methodus, quæ demulcentibus, ſtimulantibus, attenuantibus & convenientibus cardiacis, roborante diæta & remediis perficitur. — Ipſius morbi naturam methodum medendi demonſtrare optimam, loco quodam annotavit HIPPOCRATES.

Itaque in methodo has febres curandi tradenda nunc ponamus operam.

Aliud quoddam magni HIPPOCRATIS erat effatum, eum, qui morbi naturam cognoſcit, haud quoque medendi ignorare methodum. (*) — Quemlibet ad minimum medicum decet, ut antea ægroti conſtitutionem & morbi indolem bene conſideret, quam ipſi remedia præſcribat; nam *æſtimatio cauſæ*, ut CELSUS egregie ait, *ſæpe morbum ſolvit*. (**) — Atque hoc nullo in caſu magis opus eſt, quam in febribus, in quibus tempus breve & experimenta ſunt periculoſa : ubi morbus non magna cum violentia irruit, ibi paululum expectare & naturæ motus obſervare, quam nimis præcipitem eſſe, præſtat. — Raro vero fieri ſolet, ut medici mox ab initio febrium lentarum vocentur; eæ profecto jam antea nimium ſunt progreſſæ, quam iſti conſuluntur.

Ex hac febrium lentarum & nervoſarum hiſtoria ſatis manifeſtum eſſe reor, inſignes evacuationes (ſpeciatim ſanguinis detractionem) hominibus præcipue haud convenire, quibus naturaliter eſt debilis laxaque conſtitutio, cui tamen plerique ſunt obnoxii. — Conſuetam aliquam purgationem in febris hujus principio minus conſi-

derate

(*) Lib. de arte ſub finem.
(**) In Præfat. ſub finem.

derate datam mox mirum languorem, ſyncopen & magnam aliorum malorum ſymptomatum excepiſſe ſeriem, vidi: nihilo minus nonnunquam, etiam in principio neceſſe eſſe poteſt, ut primæ viæ leni vomitorio, rhabarbaro, manna cæteriſque purgentur: quod ſi vero draſtica exhibetis, fore ut iſtud veſter ægrotus abominetur, voſque doleatis, credatis. — Et hic non poſſum, quin admoneam, lene vomitorium minore naturæ cum perturbatione dari poſſe, quam purgans conſuetum, & id ſane eſt ſalutare, immo neceſſarium, ubi nauſea, repletio & vitium ventriculi urgent; quod ſæpius in febris hujus impetu incidit: — Clyſmata ex lacte, ſaccharo & ſale compoſita optimo cum ſucceſſu & ſecuritate, ſi natura in alvo deponenda deficit, immittuntur.

His in febribus profecto admodum conveniunt temperantia, cardiaca, diaphoretica remedia; & bene ordinata nutriens ac diluens diæta eſt neceſſaria: hæc ſola prudenter ordinata multum juvabit curationem, in primis ſi juſto tempore bene applicatis ſuccurramus veſicatoriis, curamque debitam adhibeamus, ut, quantum fieri poteſt, ægrotus tam ratione corporis quam mentis ſervetur quietus. Iſtud vero annotandum eſt, omnia fortiora opiata plerumque valde eſſe pernicioſa, licet ea poſtulare videantur ſomni defectus & inquietudo major. — Mitiora diaphoretica, ut pulvis Contrayervæ compoſitus cum pauco caſtoreo, croco & parva theriacæ Andromachi aut elixirii paregorici quantitate multo præſtant effectum meliorem: quæ lenem moderatumque ſudorem vel ad minimum auctam excitando perſpirationem ſanguinis atque ſpirituum celeritatem & tumultum compeſcunt, ut ea ideo tranquillus & reficiens

ciens excipiat ſomnus. Quando ſpirituum confuſio & dejectio valde urgent, gummi Galbanum vel Silphium cum pauca camphora addi poſſunt; & in nucha, occipite aut poſt aures mox applicanda ſunt veſicatoria; ac his omnibus durantibus ſeri lactis vinoſi tenuis uſus liberior, ptiſana quædam grata vel decoctum hordei decorticati cum pauco vino mitiore ſunt permittenda. Quo in caſu ſane ægrotus crebrius quidem bibere debet; licet non tanta copia, quanta in ardentibus vel putridis malignis febribus requiratur; tantum tamen aſſumat, quantum ſufficit, ut dilutionis effectus promoveatur, ſudor ſuſtineatur, & ſangis loco vappidi acriſque laticis, qui perpetuo aufertur, novis & ſalutaribus repleatur fluidis.— Atque hoc reſpectu juſculum pullorum gallinaceorum tenue non minus ut alimentum quam medicamentum verſus morbi inprimis decrementum utile eſſe, exiſtimo; ac pari ratione tenuis cornu cervi gelatina, ſagu, panatæ pauxillo vino & ſucco aurantiorum Hiſpanienſium aut limonum additis conveniunt.

Notatu quoque eſt dignum, ægrotos nunquam tam bene ſe habere, quam cum moderato ſudore madeſcant; is enim ſubito caloris exacerbationem, humorum celeritatem, cæteraque removet. — Aſt profuſus ſudor nullo unquam tempore, ſpeciatim in principio aut incremento febris augeri, multo minus remediis fortioribus calidis, volatilibus alcalinis ſalibus, ſpiritibus cæteriſque provocari debet; ea enim liquidum vitale nimium exhauriunt, ingens ſpirituum dejectio, tremor, tendinumque ſubſultus ſubſequuntur ac haud raro rigore, frigido viſcidoque ſudore, ſyncope aut ad coma proclivitate finiuntur. — Interdum

terdum inæqualis & ſingularum partium calor & rubor, cum magna anxietate, irrequie, delirio, difficultate ſpirandi & gravi pondere atque oppreſſione præcordiorum ſuccedunt; ita, ut, aliquam adeſſe poſſe peripneumoniam, minus cautus credere queat obſervator: — ſed hic in primis cave, ne ſanguinem emittas, nam licet pulſus ſit admodum celer, eum tamen valde parvum & inæqualem invenies: non pulſus ſolum debilis & tremulus, ſed quoque pallida, aquoſa & limpida urina, quæ plerumque cum iſtis eſt conjuncta, ſanguinem mittere vetant. — Præcordiorum oppreſſionem, pondus, anxietatemque a nervorum orgaſmo, non vero a peripneumonica obſtructione vel inflammatione ortum trahere, iſta denotant ſymptomata: quo in caſu etſi ſpirandi adeſt difficultas, ſpiritus tamen non emittitur calidus, ſed reſpirationis genus eſt, quod ſuſpirando & ingemiſcendo perficitur, neque tuſſis ibi ſemper eſt conjuncta; ita ut hæc profecto ab aliquo organorum vitalium ſpaſmo, non vero ab inflammatione oriantur. — Atque hoc in paroxyſmis hyſtericis ſatis manifeſtum eſt.

Igitur hic nervina, cardiaca remedia & veſicatoria femoribus, cruribus aut brachiis applicanda indicantur. — Ego plerumque ſequenti bolo & potione ſalina utor.

℞. Pulv. Contrayerv. c. gr. XV. (*)
Croc. anglic. gr. jii.
Confect. Ralegh. ℈j.
Syrup. Croci. q. ſ.
M. f. Bolus.

(*) Quando inſignes tendinum tremores & ſubſultus adſunt, loco *Pulv. Contrayerv.* c. Moſchi ℈ß. optimo cum ſucceſſu utor.

℞. Sal. C. C. ℈ß.
Succ. Limon. ʒiii.
Aq. alexit. ſimpl. ℥iß.
M. peracta effervescentia adde
Spirit. Lavend.
Syrup. Croci ana ʒiß.
M. f. Hauſt.

Hæc aut ſimilia ut quinta, ſexta vel octava hora cum julapio cardiaco temperante ſumantur, jubeo; ſpiritus volatilis aromaticus aut fœtidus in tenuiore vino vel lactis ſero cum vino pomaceo parato, aut quod quibuſdam in caſibus præſtat, in tenui lactis ſero ſinapino interdum dari poſſunt: quæ ſine ullo magno apparatu habenda neque contemnenda ſunt remedia præcipue apud pauperes. Hæc torpida vaſa moderate ſtimulant & vim eorum oſcillatoriam excitant; humores attenuant, diluuntque ac tali ratione ſudorem ægrotum ſublevantem facile promovent, qui ſubito erethiſmum, ut veteres appellavere, tollit. — Potio ſalina, methodo antea propoſita parata magis per cutis poros tranſire eſt apta, quam ſi ſal abſinthii additur, quod urinam magis commovet. — Cum ego potionis antea præſcriptæ utilitatem in aſthmaticis caſibus aſſeram, quilibet de ejus efficacitate in his facile judicare poteſt.

Ut vero ad propoſitum redeam, hæc ſpirandi difficultas, anxietas & oppreſſio nonnunquam præcedit eruptionem miliarem, quæ ſæpius ſeptimo, nono aut undecimo hujus febris die & interdum tardius apparet: — magna ſane anxietas & præcordiorum oppreſſio quamlibet ſemper puſtularum eruptionem in omnibus febrium generibus prægreditur. — Quam intempeſtiva & inconve-

niens

niens tali in re ſit ſanguinis detractio, ubi maxima adhibenda eſt cura, ne naturæ operationes, hæ ſpeciatim, quæ haud raro criſin efficiunt perfectam, turbentur, fugere debet neminem; lenibus è contrario cardiacis mitioribus, propriis diluentibus, ſimilibuſque ſunt promovendæ; hiſque interdum pauculum theriacæ Andromachi vel elixirii aſthmatici addi poteſt; quæ non ſolum univerſalem illam ægritudinem, de qua conqueruntur, tollere ſolent, ſed efficacius quoque diaphoreſin aut ſudorem moderatum lenemque promovent, quocum miliaris eruptio libere facileque prorumpit.

Aſt quam utiles hi plerumque eſſe ſolent, ſudores tamen profuſiores raro aut nunquam, tunc quoque quando eos larga comitatur eruptio, conducunt; duas enim vel tres puſtularum miliarium eruptiones, altera alteram excipiens cum largo atque diu continuato ſudore vidi, ubi tamen nulla ratione levabatur ægrotus; quid? quod maximo ipſi erat detrimento, cum eum inſigniter debilitaret. — Largi hi ſudores plerumque profecto multo magis ſunt ſymptomatici quam critici, & ſubſequens eruptio ſæpius tantum eſt ſymptomatis ſymptoma; nam glandulæ cutis miliares valde turgidæ & poſt profuſos ſudores, in ipſa quoque perfecta ſanitate, papularum efflореſcentia apparent.

In tali profuſo & colliquativo ſudore ſæpius vini generoſi rubri (aliquo modo, ſi neceſſe erat, diluti) parvam quantitatem maxima dedi cum utilitate; cum moderaretur ſudorem, ægrotum roboraret, & miliares papulas tunc fortaſſe ſimul præſentes juvaret. — CELSUS *vinum auſterum quidem, ſed tamen tenue & meraculum* ſuadet *in morbo car-*

cardiaeo, (*) quem febris nervoſæ cum ſudore colliquativo fuiſſe ſpeciem, reor. — Præter ea verſus morbi decrementum, ubi ſudores abundantes valde debilitant, parcam doſin infra præſcriptæ tincturæ corticis peruviani cum croco & radice ſerpentariæ virginianæ exhibeo, interponendo interdum rhabarbari doſin, ut putrida ex primis viis educatur colluvies; quibus ſimul remiſſio, & intermiſſio, quæ frequenter in febris nervoſæ decremento incidunt, diſtinctæ magis & manifeſtæ efficiuntur, atque corpus ad corticis uſum præparandi commodam exhibet opportunitatem. — Ego in genere corticem circa hoc tempus cum potionibus ſalinis, ſale abſynthii ſuccoque limonum paratis, propino, quæ eum multo reddunt efficaciorem. Quam methodum has & iſtas quoque cum eruptionibus miliaribus conjunctas febres reddere breviores, perſuaſum habeo, quæ alias nimium trahuntur ac cum periculo revertuntur. — Ægrotos per quinque aut ſex hebdomadas methodo ſudorifera tractatos, & poſt tres vel quatuor miliaris eruptionis impetus ſuperatos, prorſus diffluentes ac in proprio ſudore innatantes ſtragulaque ſub ipſis corrumpentes in hanc febrim incidiſſe, pluries perſpexi.

Licet moderata aliqua diarrhœa interdum verſus finem hujus febris evidentem afferat utilitatem; tantum tamen abeſt, ut crudæ, tenues & colliquativæ dejectiones illud efficiant, ut potius ægrotum mirum in modum ſubito deprimant; quando ſunt lividæ, aut plumbei coloris, quæcunque earum ſit conſiſtentia, periculoſum ſemper hoc erit phænomenon.

Nulla melioris præſagii evacuatio eſt, quam ſatis

(*) Lib. III. c. 19.

ſatis copioſa ſalivatio ſine aphthis: ubi hæc incidit & cutis moderate madet, de ægroto meo vix unquam, quam debilis & ſtupidus quoque eſſe videatur, deſpero:—morbi in fine profecto ſæpius efficit ſurditas, ut ægroti multo minus, quam re vera fieri ſolet, perſentiſcere videantur; non, quod varii hac rerum in ratione mortis e manibus effugientes, omnino fiant ſtupidi.

In omnibus his evacuationibus plenior, reficiens & diluens neceſſario requiritur nutritio, ut ſpiritus ſuſtineantur, ſuccorum quotidie deperditorum reſtituatur defectus & relicti corrigantur. Quando ægroti nimio torpore & ſtupore ſunt affecti, ad illam profecto eos ſæpius allicere opus eſt; nam hoc omnino tam neceſſarium eſt, quam medicina.

His in febribus rariſſime criſis aliqua obtinetur perfecta; quibuſdam in caſibus tempus ſolum eis mederi videtur. Vix unquam concocta, ſed cruda, pallida, & tenuis per totius morbi decurſum eſt urina, atque haud raro nimium profluit: aliquando quidem poſt exacerbationes aut in ſudore colore tingitur profundiore, ſed ſine eo, ut aliquid ſubſideat, parca emittitur in quantitate, & plerumque pinguedine quaſi conſpurcata.

Corporis lymphaticorum valdeque exaſperatorum humorum lentorem nimium febrium lentarum & nervoſarum eſſe cauſſam aliquam conjunctam mihi manifeſtum eſſe videtur: & quemadmodum ſerum calore febrili concretum, nunquam iterum in fluidum ad œconomiæ animalis uſum aptum reſolvitur, ſed in acre putridum mutatur; ſic quoque viſcidam ſtagnantem lympham gradatim corruptione degenerare in putridum icho-

ichorem, qui per conſueta colatoria aut artificiale quoddam emiſſarium eliminari debet e corpore, animo concipio. Etſi pori cutanei & ductus ſalivales in genere viæ ſunt convenientiſſimæ; quædam tamen quoque pars ſæpe per inteſtina & vias uriniferas removetur. — Licet vero hæ evacuationes interdum ſint valde profuſæ, has tamen non nimis cito eſſe cohibendas, niſi multo periculoſiorem materiæ morboſæ translationem in organa vitalia efficere velis, docuit experientia: ſudoris ſubitaneam repreſſionem plerumque excipit rigor convulſivus, magna irrequies, præcordiorum oppreſſio, ſyncope cæteraque; — cum nauſea, ſtomachi vitium, colica & delirium a fortioribus adſtringentibus præmature adhibitis inducantur. — Quid? quod ipſorum veſicatoriorum effectus hoc in caſu non cito nimis ſunt intercipiendi: quo plus enim illa in genere eliminant, eo melius eſt; ſic quoque, ſi ea aliquo modo ſuppurant, bonum plerumque eſt ſymptoma; etſi enim hoc, humorum emitti acrimoniam, demonſtrat; ſimul tamen naturam viribus iſtam expellendi pollere, comprobat: — ita, ut aliud, ſi prius veſicatorium ſaneſcere incipiat, alii parti applicari debeat; nam non tantum ſtimulo, ſed quoque humorum eductioni, quam efficiunt, iſta eſſe utilia, eſt adſcribendum. — Puſtulæ ardentes copioſæ ſæpiſſime in hujus febris ſtatu aut poſt eum erumpentes & haud raro ſuppurantes largeque emanantes, ſunt naturalium veſicatoriorum genus, quod putridi corrodentis ichoris perrumpit clauſtra, atque viam, qua naturæ ſit ſuccurrendum, ſatis indicat.

Itaque ut hæc breviter complectar, ubi quædam harum evacuationum eſt nimia, illa prudenter quidem moderanda, ſed non prorſus cohibenda

da eſt: ideoque aer frigidus, linteamina frigida, liquores frigidi aut regimen frigidum minime conveniunt. — E contrario vero allaborare, ut calidioribus cardiacis, ſalibus volatilibus alcalinis, aereque exæſtuante ſudor excitetur, iſteque foveatur, hoc profecto eſt, opprimere, non juvare ægrotum. Atque ut copioſa & crebrior albarum rubrarumque puſtularum miliarium eruptio non morbi ſolum magnitudinem (ut dicitur), ſed ſic ſæpius quoque perverſam medicorum medendi methodum oſtendit. Num melius erit factu, ſi magnam variolarum copiam per regimen valde calidum extricamus? Nihilo tamen minus hæ multo magis, quam illæ in completa critica evacuatione efficienda ſe commendant. — Ego vero ad omnes expertos provoco medicos, num unquam in variolis aut morbillis largum profuſumque ſudorem invenerint utilem: ego quidem illum ſæpiſſime reperi pernicioſiſſimum.

Qua in re fui verboſior, quoniam vulgari iſta methodo febribus miliaribus per calidiora, ſudorifera remedia & calidum regimen medendi multa millia fuiſſe trucidata, pro certo habeo. — Breviter, medicus tam in febribus miliaribus, quam in lentis & nervoſis ſine eruptionibus in id incumbere debet, ut naturæ in ſuis operationibus ſuccurrat & ſuccumbentem juvet; tali vero ratione, qualis cum generalibus œconomiæ animalis legibus convenit; ita, ut evacuationes natura languente deficientes promoveat, aut profuſiores & inordinatas temperet; ut eodem tempore curam habeat, ne ullo unquam in morbo, criſin quamdam, quæ obſervationibus propriis & longa experientia, ordinata, conſtans & ſalutaris fuit reperta, turbet, ſed omni opera adjuvet. — Itaque ut exem-

exemplum hujus febris, de qua nunc egi, proferam, quando diarrhœa incidat nimis profuſa; ea moderato cardiaco opiato remedio, ut theriaca Andromachi & ſimilibus coerceri poteſt, quæ irritationem compeſcendo atque evacuationem cutaneam promovendo, fluxum iſtum temperant; nam moderatos, æquales facileque provenientes ſudores eſſe ſalutares, ſemper invenimus. — Eum vero uno impetu fortioribus cohibere adſtringentibus, eſt naturæ molimina perturbare, cum iſta tam alvum quam ſudorem impediant. — Quicunque vero methodum febribus lentis & nervoſis medendi pleniorem addiſcere cupit, ille egregium D. RICHARD MANNINGHAM conſulat tractatum de *febricula* cæteraque.

CAPUT VIII.

De putridis, malignis, petechialibus febribus.

HIs nunc febrium putridarum, malignarum vel peſtilentialium petechialium conſiderationem jungamus & tunc methodum illis medendi breviter proponere pergamus.

Summe putridæ, malignæ & petechiales quoque febres ſæpius a mera acrimonia in ſanguine antea latente & febre accedente agitata oriuntur; ſed febres peſtilentiales & petechiales originem a contagio ducunt: ideoque omnes homines cujuslibet conſtitutionis afficit, eaque propter magnam ſymptomatum affert diverſitatem. — Cum enim

enim ſuſceptum contagium fere ſimili ratione ut acrimonia agat, valde differentes edet effectus, quando illud fortem & robuſtam corporis conſtitutionem cum ſanguine denſo glutinoſo invadit, quando in debilem laxum corporis ſtatum cum tenui diluto ſanguine & laxiori ejus globulorum craſi irruit; atque ab utriſque differunt, quando illud incidit, ubi acres adſunt humores.

At enim vero hæ febres in genere majore cum vehementia accedunt, quam lentæ & nervoſæ, rigores, ſi adſunt, ſunt fortes (nonnunquam fortiſſimi) æſtus major & permanens, in principio tamen ſubitaneus, tranſiens & remittens: pulſus fortior aut durus, plerumque vero celer & debilis, licet aliquando lentus & per aliquod tempus æqualis appareat atque tunc tremulus & inæqualis. — Capitis dolor, vertigo, nauſea & vomitus mox quoque ſub initio ſunt inſigniores. — Interdum dolor ſeverus fixus unum aut utraque tempora, vel unum aut utrumque latus ubi ſita ſunt ſupercilia, vel fundum orbitæ oculorum occupat. — Oculi ſemper admodum magni, triſtes, flaveſcentes & haud raro aliquo modo inflammati apparent. Tumidum & magis pallidi quam conſueti coloris eſſe videtur os. — Arteriæ temporales plerumque fortius pulſant & aurium tinnitus eſt valde moleſtus: ſic quoque in febris progreſſu arteriarum carotidum ſæpius vibratio oritur fortior, licet carpi pulſus ſit mollior, imo quoque lentus: quod delirii imminentis ſignum eſt certiſſimum & plerumque ab aliqua obſtructione cerebri inſigniore provenit.

Spirituum proſtratio, debilitas atque languor mirum ſæpiſſime in modum ſubito increſcunt, quanquam nulla incidit evacuatio, & hoc quidem

ſæpius

ſæpius fieri ſolet, quando arteriarum pulſus ſatis fortis eſſe videtur.—Spiritus plerumque non ſine labore quodam trahitur & cum ſoni & anhelationis ſpecie intercipitur, ipſeque ſpiritus eſt calidus atque tædioſus.

Febrium harum paucæ vel nullæ ſine lumbaginis ſpecie aut dorſi & lumborum dolore obveniunt; univerſalis ſemper languor & ægritudo ſæpiuſque dolor major in membris perſentiſcitur.— Interdum magnus æſtus, pondus & dolor cordis afficit ſcrobiculum; quæ porraceæ vel nigræ bilis vomitus & moleſtus valde ſingultus comitantur; id, quod rejicitur haud raro valde nauſeoſum ſpargit fœtorem.

Quæ quidem in principio tantum alba erat lingua, quotidie fit nigrior & aridior: interdum ei eſt color lividus ſplendens cum puſtularum obſcurarum ſpecie in apice, interdum eſt nigerrima; & ita per plures ſubſequentes durat dies; neque color hic poſt plurium interdum dierum ſpatium criſi quoque bona peracta diſparet: in ſummo morbi incremento iſta plerumque maxime arida, rigida & nigra vel obſcurioris aurantiorum coloris efficitur.—Hinc vox inarticulata & intellectu difficilis.

Sitis in febris incremento plerumque eſt ingens, ac vix nonnunquam reſtringui poteſt; nihilo minus nullum potus genus placet, ſed omnia obveniunt amara & inſipida: alio vero tempore admiratione eſt dignum, ægrotum nulla de ſiti conqueri, licet os atque lingua inſigniter ſint fœda & ſicca; quod ſemper periculoſum eſt ſymptoma ac phrenitide vel comate terminatur.—Sordibus valde nigris tenacibus verſus ejus ſtatum in primis obducuntur labia atque dentes.

Fe-

Febris in impetu urina ſæpius cruda, pallida vappidaque eſt, ſed in progreſſu colore tingitur profundiore ac frequenter lixivium forte aut *urina citrina* cum parva ſanguinis quantitate tincta eſſe videtur, nihil in ea ſubſidet, neque nubecula apparet, & ſic per varias ſubſequentes continuat dies: gradatim fit obſcurior, cereviſia ſaturata ſimilis, coloris profundioris ac valde putride & intolerabiliter fœtet. — In febribus petechialibus ſæpius urinam fere nigram valdeque fœtentem inveni; iſta ſpeciatim *Dom.* SCHIRLEY nautarum chirurgi fere prorſus nigra & quod in ea deſidit, fuligini erat ſimile: multis maculis nigris & vibicibus obtectus dyſenteria cruenta & comatoſa phrenitide afficiebatur, atque decimo tertio circiter die moriebatur.

Alvi dejectiones in primis verſus febris incrementum aut in ejus declinatione maximam partem intolerabiliter fœtent, virides, lividæ vel nigræ ſunt ſæpiuſque ſanguinem & ſevera tormina habent conjuncta. Quod ſi iſtæ magis flavæ & obſcuræ ſunt, minus imminet periculum: ſummum vero, quando illæ, cujuſcunque ſint coloris, ſine ſenſu profluunt. Pari ratione ſymptoma eſt peſſimum, ſi abdomen durum, tenſum & tumidum poſt dejectiones remanet profuſiores; hoc enim plerumque inflammationem aut deſtructionem inteſtinorum ſubſequitur. — Moderata diarrhœa haud raro eſt valde ſalutaris & natura interdum ſolam hanc viam eligere videtur, qua materiam removet morboſam.

Si quando nigræ, lividæ, viridis aut caſtanei coloris apparent maculæ, de malignitate dubitat nemo: quo vero floridiores ſunt maculæ, eo minus metuendum eſt; ſi petechiis nigris aut viola-

ceis color inducitur floridior, bonum eſt ſignum. — Magnæ iſtæ nigræ vel lividæ maculæ fere ſemper cum hæmorrhagia profuſiore ſunt conjunctæ. — Parvæ, obſcuræ, caſtanei coloris *maculæ*, *lentiginibus* ſimiles non minus, quam lividæ & nigræ, oſtendunt periculum, licet illas raro tantum comitetur ſanguinis eruptio: ingentes, frigidos, viſcidoſque ſudores, ſæpius habent conjunctos, quibus quidem, ſine ægri tamen levamine, nonnunquam diſparent. — Petechiarum eruptio eſt incerta, interdum quarto aut quinto, interdum non prius, quam undecimo die vel quoque tardius apparent. — *Vibices* vel latæ, lividæ aut obſcuræ virides ſtriæ raro prius quam verſus terminum mortiferum erumpunt. — In febribus quoque malignis ſæpiſſime occurrit exanthema morbillis ſimile ſed profundioris ac luridi coloris, ubi cutis & pectus ſpeciatim quaſi ut marmora eſt variegatum; quod in genere malum eſt ſymptoma, quodque ſæpius admodum funeſtos excepiſſe effectus, vidi.

Circa undecimum aut decimum quartum diem ſudoribus profuſioribus exortis petechiæ interdum diſparent, & magna *albarum*, *miliarium puſtularum* erumpit copia: raro hæc inſignem aliquam attuliſſe utilitatem perſpexi; aſt, ſi pruriens, dolens & *rubrum* oritur *exanthema*, id plerumque ægrum inſigniter relevat; hoc quoque efficiunt latæ, ardentes, aquoſæ puſtulæ aliquando in genis, pectore, humeris, aliiſque partibus erumpentes. Pari modo *eruptio ſcabioſa* circa labia & nares ſalutarium ſymptomatum eſt certiſſimum, quod quo magis ardet & prurit, eo melius eſt. — Multo vero incertioris atque periculoſioris exitus ſunt ſubruffi obſcurioriſque coloris aphthæ: neque iſtæ
inſigni-

inſigniter albæ adeoque largæ, ut lardo appareant ſimiles, plura bona promittunt. — Has cito magna deglutiendi difficultas, dolor ac faucium, œſophagi cæterarumque partium exulceratio cum perpetuo ſingultu ſequitur: totus denique primarum viarum canalis afficitur, dyſenteria cruenta accedit, quam inteſtinorum excipit ſphacelus; prouti id ex nigris, ſanioſis, cruentis, intollerabiliter fœtentibus, ſummeque infeſtis manifeſtum eſt dejectionibus.

Sæpius verſus febris finem vibices aut latæ, nigræ & cœruleæ ſtriæ, ſugillationi ſimiles in conſpectum prorumpunt; quæ, ſi cum livore & frigore extremarum corporis partium ſunt conjunctæ, certa mortis appropinquantis ſunt ſigna; ego nigritiem uſque ad medium brachii articulum fere diffuſam & manus ut in mortuo frigidas unum vel alterum diem ante ægroti mortem perſpexi. — Notatu dignum exemplum ante aliquot annos in matrona HOPKINS deprehendi, ad quam die morbi ſeptimo vocabar. Stupida erat & aliquo modo delirabat, perpetuo, quaſi maxima triſtitia affecta, ingemiſcebat, & de graviſſimo pondere & oppreſſione pectoris conquerebatur. Pulſus erat celer, parvus, tremulus, inæqualis, & reſpiratio brevis, intercepta ac difficilis; per longum temporis ſpatium ne ſpecie quidem ſomni reficiebatur, valde tamen ſtupida jacebat; nullo magnopere ardebat colore, licet ſitis vix reſtingui poſſet; lingua non admodum arida ſed ſubnigra apparebat, gula aliquo modo dolebat & cum difficultate deglutiebat ægrota: oculi erant torvi, fixi, & inflammati — Die octavo ſudore diffluebat profuſiſſimo, atque lingua profuſus nigra aut potius livida ac inſigniter arida fiebat: verſus veſperum catamenia

prorumpentia immoderatius profluebant, (nutricem agebat & primum poſt partum iterum accedebant) ſudor continuabat & male olebat. Nono die vibices, vel magnæ nigræ maculæ variis corporis in partibus proveniebant, alia ſpeciatim in apice aliaque in dorſo narium, quæ non minus, quam puſtulæ magnæ fere nummi aurei magnitudine in genis colorem induebant nigrum. — Catameniorum fluxu die decimo ceſſante ægrota vehemente alvi dejectione afficiebatur atque inſigniter intumeſcebat abdomen. Ejus ungues & manus valde nigræ ac marmoribus obſervabantur frigidiores. Urina & alvus invita profluebant & ſine ullo ſenſu uſque ad undecimum jacebat diem, quo tandem moriebatur. — Quatuordecim horis ante mortem intolerabilem ſpargebat odorem, licet omni, qua fieri poterat, cura pura conſervaretur.

Verbum *malignum*, quod febribus additur, per plures annos magna notatum fuiſſe ignominia, haud ignoro, atque ſæpiſſime, ut probabile eſt, ad ignorantiam obvelandam vel ad curationem extollendam fuit adhibitum. — Profecto autem talis natura ipſa fundata eſt appellatio, nomen ad minimum requiritur, quo talem morbum, qualem nunc propoſui, a conſueta inflammatoria febre diſtinguamus: ipſa ſane loquendi formula *febris inflammatoria*, alia quoque inveniri febris genera demonſtrat. — Parum fortaſſe intereſt, num illam putridam, malignam aut peſtilentialem appellare velis; — quando petechiæ erumpunt, quilibet illam exanthematicam aut petechialem vocat, — & quando a contagio exorta eſt, contagioſam. — Ego quidem de verbis contendam cum nemine, id tamen neceſſe eſt, ut aliquid habeamus,

ſmus, quo noſtras ideas cum aliis communicare queamus, quæ ubi bene ſunt definitæ, inſignis quædam rixæ cauſa relinquitur nemini.

SYDENHAMII viri iſtius magni memoriam maximo in honore habeo; nihilo ſecius omnes febres, peſtem quoque ipſam ut febres mere inflammatorias eum tractaſſe, profitendum eſt, ejuſque medendi methodus magis univerſaliter convenit & imitanda eſt, cum egregie illis, quæ a lentore dependent inflammatorio, ſit accommodata.— Aſt in omnibus, ipſis quoque in variolis, quas in genere egregie admirandaque ratione deſcripſit & ſummo cum judicio tractavit, non eſt imitandus.—Procul dubio occurrunt febres, quæ aliquo modo plura, quam lanceolam, cerevifiam ſecundariam & purgans requirunt. Num febris lenta & nervoſa ita tractari poterit? num variis cum variolarum ſpeciebus, febribus petechialibus, miliaribus cæteriſque ita agendum erit? Ad omnes expertos & rationales provoco medicos.— Sed honore afficiatur, qui honore eſt dignus: regimini calido ſudorifero & exæſtuanti quod tunc temporis in omnibus febrium ſpeciebus adhibendi mos erat, recte ſe oppoſuit illudque rejecit, atque convenientes evacuationes ac regimen temperatum diluens, frigidum induxit: methodum omnibus febrium inflammatoriarum & ardentium ſpeciebus convenientiſſimam.— Meræ vero evacuationes & frigida aquoſa diluentia non cuilibet conſtitutioni & omnibus febribus conducunt.— Aſt dum vitamus vitia, plerumque contraria committimus, & aſſumta ſententia alterum aliquando ita inſtigare poteſt, ut *fere flammulam extinguat vitalem* atque alterum, ut machinam incendat, ne *deleterio miaſmati* in illa concedatur locus:

Quod ſi febris eſt naturæ conamen, lædentis alicujus vel morboſæ materiæ exterminationem molientis, prouti certiſſime deprehenditur, inde profecto iſtam cohibere, non ſemper conveniet. — Caloris acceſſus in febre tertiana lentorem humorum attenuando & obſtructionem in extremis arteriarum capillarium ramis removendo, paroxyſmum terminat. — Sanguinis emiſſio & purgatio intempeſtiva eam ſæpius valde protrahunt atque & anomalam & periculoſam reddunt. — Quando variolarum contagium cum ſanguine communicatur, febrim excitat, quæ, ſi illæ mitioris ſunt indolis, ipſa eruptione perfecta cito terminatur, & tunc ceſſat, cum febris aut naturæ conamen morbi materiam expulerit. — Interdum vero ob profuſas evacuationes, ob immoderatum timorem, ſpirituum abjectionem & minus conveniens regimen non tantum ei ſupereſt vigoris, quantum requiritur, ut morbum per criſin expellat convenientem; ſed puſtulæ pallidæ, albidæ, ſeſſiles remanent crudæ neque conſueto modo matureſcunt. — Atque hoc haud raro fieri ſolet in aliis exanthematicis febribus, imo in peſte ipſa,

Itaque ratio, cur ſanguis in principio talis febris ſit detrahendus, præcipue hæc eſt, ut, ne febris nimium exacerbata in cerebro, pulmonibus aut aliis ad vitam neceſſariis partibus excitet inflammationes, præcaveamus; ad quas excitandas magna ſpiſſi & denſi ſanguinis copia, vehementius mota & calefacta valde inclinat. — Sanguinis profecto emiſſio in morbo contagioſo, qui quidem ſolo a contagio excitatur, non indicari videtur; quoniam contagium intime cum humoribus eſt commixtum, & quoniam, cum parvam

ſangui-

ſanguinis quantitatem emittas, totum contagium parum imminuis, quod, ſeu ſanguinem emittas ſeu relinquas vel majores vel minores edet effectus. — Atque variolarum inoculationis experimentum nos docet, minimam materiæ varioloſæ in ſanguinem introductæ quantitatem excitare poſſe variolas: & in aliis quoque caſibus, qualis eſt vel viperæ vel canis rabidi morſus, nobis ſimilia occurrunt: in hoc, quod in tranſitu ſit dictum, parvum vulnus pejus eſt, quam magnum dilaceratum: cum hoc veneno iterum exitum permittat liberiorem.

Si quando fermentum cum liquore aliquo fermentante intime commiſcueris, fermentationem, parte aliqua liquoris ablata, non impedies: nam quælibet fermentantis liquoris pars eſt fermentum; ſic contagium in ſanguinem receptum in quamlibet ejus partem vim ſuam exſerit. — Refrigerando profecto, acida addendo, cæteriſque fermentationem moderari poteris; atque ſi ea nimis eſt vehemens, diſruptionem vaſis (nimis pleni & obturati) proprium permittendo exitu impedire poteris: ſic in febribus contagioſis per ſanguinis detractionem ejus quantitas diminui & nimia diſtenſio, inflammatio, vaſorumque diſruptio averti ac æſtus infringi poteſt: quæ alias vim contagii inſigniter augere & totam humorum maſſam in merum gluten inflammatorium pervertere valebunt. — Quod ſi autem ut in comparationem pergam, liquorem fermentantem nimirum refrigeras & fermentationem præmature ſupprimis, is totus vappidus & glutinoſus redditus nunquam per convenientem deſpumationem purificatur aut bonus vinoſus fit liquor. — Ita quoque, ſi contagio recepto naturæ vires ſangui-

nis detractione cæteriſque nimium infringis & ejus operationem in humoribus morboſis deſpumandis (ut SYDENHAMIUS loquitur) intercipis; morbum augebis, qui totam ſanguinis maſſam in putridum ichorem aut ſaniem mutat. — Cæterum cum ſanguinis emiſſio materiam imminuat inflammantem, quanquam contagii ſcintillam non prorſus exſtinguat, inde, ubi fortaſſe quis ſanguine abundat, egregie convenit. — Nihilo tamen ſecius effectum ſuum edet infectio; atque ego quidem non minus copioſas & malignas poſt largiorem ſanguinis detractionem vidi, quam unquam, quando illam omiſi. — Porro vero peſtem, quæ primum inter febres contagioſas occupat locum, ſanguinis ad minimum majorem detractionem rariſſime perferre, pro certo habeto, uti ex optimæ notæ auctoribus apparet.

Huic vero capiti paucis verbis de curatione, quæ febribus, de quibus ſpeciatim hic egimus, conveniat, additis finem imponamus. — Primo autem id annotandum eſt, quod, licet febres malignæ & peſtilentiales in ipſo eorum impetu ſpiritus valde deprimant & mirandam ſubitaneamque debilitatem, quando in primis a contagio ſint obortæ, inducant, aliqua tamen ſanguinis plerumque requiratur detractio, (quid? quod in robuſtis & qui ſanguine abundant, ſit neceſſaria), ut non moles ſolum movenda diminuatur & ipſis vaſis pulſantibus contractio efficiatur liberior; ſed quoque ut quælibet inflammatoria obſtructio, quæ mox ſub ipſum initium accedere poſſit, avertatur, ac ut ſimul moderentur attritus & æſtus, qui in primis morbi diebus ſæpius ſunt inſigniores, qui partes ſanguinis ſalinas & ſulphureas magis magiſve extricant, acrimoniam augent, putreſcentem humorum ſta-

tum

tum juvant & actioni morbi materiæ inſigniter favent. — Igitur hæc indicata, cum primum fieri poteſt, eſt inſtituenda. — Pulſus celer, tenſus, æſtus acrior, magna ſpirandi difficultas, cordis palpitatio ac dolor capitis dorſique vehemens manifeſte illam poſtulant. — Licet vero rigor, qui æſtum & præcordiorum oppreſſionem præcedit, ſit inſignior; minorem tamen ſanguinis copiam, quam in vera peripneumonia, quæ haud raro pari modo invadit ægrotos, eſſe detrahendam, bene obſervari debet: aſt ſubitanea debilitas & magna ſpirituum abjectio, tremor manuum, pallor cruditaſque urinæ, cuncta hæc, ſi nulla tuſſis neque ſpiritus calor adeſt, alteram ab altera diſtinguunt. Siquidem hac in re eo minus quis decipi poteſt, quando putridæ, petechiales aut peſtilentiales febres graſſantur & aeris conſtitutio ad illas inclinat. — Quocunque modo hoc eveniat, e vena miſſus mox demonſtrabit differentiam ſanguis; qui in febribus malignis multo laxioris texturæ & mollioris eſt conſiſtentiæ (licet is ſatis floridus appareat) quam in pleuritide & peripneumonia: qui ſi prima in miſſione ſatis ſplendens & ſine alba tenaci apparet pellicula, ſi is præcipue ex brachio deſtillat neque pleno effluit flumine, is tamen frigefactus in denſum & firmum coit craſſamentum. — Si quando iſtam alia prorſus ratione deprehendis, quocunque in caſu caveto, ne fluidum vitale nimium prodigas.

Itaque, licet neceſſe eſſe poſſit, ut fortibus atque robuſtis in ipſo febrium contagioſarum principio ſanguinem detrahamus, febris tamen naturam ſollicite attendere nos oportet, cum a contagio ſit oborta, quod non minus *ſanguinem*, quam præcipue *ſpiritus animales* afficere videtur: quod ſubi-

ſubitaneam ſenſuum obnubilationem, debilitatem, tremores & magnam ſpirituum proſtrationem ipſo in impetu evidenter demonſtrare, exiſtimo. — In peſte homines quaſi fulmine icti ſubitanea morte fuerunt correpti ſine ulla antegreſſa febre vel quoque ægritudine. — Fieri vix poteſt, ut ſubitaneam morſus ſerpentis caudiſonæ operationem, qui ſæpius unius aut duorum minutorum ſpatio minore necat, & ſubitaneum mirumque nonnullorum odoramentorum effectum quibuſdam in hominibus explicemus, quæ fere uno impetu totam naturæ œconomiam quam maxime perturbant & convellunt. — Effluviorum electricorum roboris effectus jam ſatis cogniti non ſolum hanc corroborare videntur ideam, ſed quoque modum analogum, quo hoc efficitur, oſtendunt. — Quicunque hac de re plura cognoſcere avet, conſulat virum illuſtrem D. MEAD *in introductione tertiæ editioni libri ſui addita.*

Nervi vero ac ſpiritus animales contagii miaſmate affecti non tantum, quantum ſufficit, fibras muſculares & vaſa agitant; inde magna debilitas & nimis debilis ſyſtematis vaſorum oritur impulſus: indeque aliis locis concreſcit, & aliis omnino diſſolvitur ſanguis. — Cordis auriculæ & ventriculi illorum, qui peſte extinguuntur, ſanguine grumoſo amplius diſtenta inveniuntur, cum ſanguis ad cor regurgitet, quod tantis viribus non polle t, ut iſtum propellat; nihilo minus ſanguis in aliis vaſis adeo tenuis & diſſolutus apparet, ut is haud raro, qua data porta, erumpat: TIMONI (*) aliique illum in orificiis, quæ ſanguinis miſſione & ſcarificatione ſunt facta, difficulter ſupprimi, anno-

(*) Vid. Comment. philoſoph. Soc. Reg. Anglic. N. 374.

annotavere. — Quod pari ratione interdum in conſuetis febribus petechialibus & peſtilentialibus obſervavi.

A peculiari filamentorum nervoſorum & ſubtiliſſimæ atque maxime attenuatæ fluidorum animalium partis adeo variis in hominibus differentis diſpoſitione mira illa & quidem eandem ob cauſam dependet effectuum diverſitas. — Herbæ, floris, moſchi odor, qui ſexcentos homines reficit, in quibuſdam animi inducit deliquium. — Effluviorum electricorum vis varios homines varia valde ratione, ad minimum vario afficit gradu; idque probabiliter non ſolum ob differentem ſpirituum animalium craſin, ſed quoque ob nervearum fibrarum tenſionem, robur cæteraque differentia: haud ſecus ac muſices chordæ differentis longitudinis & tenſionis modo valde differente una eademque afficiuntur nota. — Id fortaſſe aliqua ex parte in peculiari nervorum & ſpirituum animalium proprietate poſitum eſſe videtur, alios peſte, variolis, cæteriſque facilius, alios nunquam infici, quamquam circa eos illis laboret magna turba.

Quacunque vero ratione ſeſe hæc habeant, contagium ſolidorum robur frangere & ſanguinem diſſolvere certum eſt; ita ut, ſi nobis injecta eſt ſuſpicio, febrim a contagio fuiſſe excitatam, caute in ſanguine emittendo ſit agendum, licet quoque ſymptomata ſatis inſigniter in principio exacerbata, ut larga ſatis quantitas detrahatur, imperare videantur. — In pleuroperipneumoniis & peripneumoniis malignis hac in re vidi crebriores atque acerbe tuli graviſſimos errores, ſpeciatim annis 1740. 1741. & 1745. — Itaque, licet quidem prima ſanguinis emiſſio admodum convenire

venire

venire queat, ſubſequens tamen non ita convéniet, immo erit pernicioſa. — Sanguis primum emiſſus ſæpius floridus, viginti horis poſt detractus, plerumque lividus, niger & tenuior atque tertium lividus, diſſolutus ac ſaniei ſimilis apparet. — Hoc crebrius in malignis petechialibus febribus accidit: interdum ſanguinis craſin ita perturbatam obſervavi, ut in ejus fundo pulvis niger, fuligini ſimilis ſubſideret, pars vero ſuperior aut cruor lividus aut ſpecies obſcure viridis & mollioris eſſet gelatinæ. — Porro his in caſibus pulſus ſæpe poſt ſecundam ſanguinis detractionem, immo nonnunquam poſt primam mirum in modum decreſcit: ego vero hoc pluries non ſine maxima cura & ſollicitudine & quidem tum obſervavi, cum exiſtimarem, pulſum cæteraque ſatis indicare, neceſſe eſſe, ut ſanguis iterum detrahatur. — Igitur jam neceſſe eſt, ut febris epidemicæ peculiarem bene attendamus naturam.

Vix ulla febris contagioſa aliquem invadit, quin ventriculum male afficiat & vomitum excitet. Cum effluvia morbi cum ſaliva cæteriſque degluliantur, nonne illa, aliqua ad minimum ex parte natura cooperante per vomitum adjutum abluuntur & rejiciuntur? — Cujus ope quoque aliqua bilioſa, acris, putridaque colluvies, quæ forte in ventriculo hæret, educitur: quæ alias corruptione magis increſcente magnam malorum ſymptomatum varietatem producens, morbum principalem valde augebit. — Siquidem ſine eo, ut ars ſuccurrat, vomitu nonnunquam fruſtra evacuationem molitur natura, & quidem adeo vehementer, ac ſi conveniens emeticum & proprium abluens fuiſſent adhibita: quid? quod ſi aliquid ad vomitum promovendum aſſumitur, id non minus

faci-

faciliorem & efficaciorem reddit, quam quoque materiam irritantem educendo vomitum ipſum ſupprimere valde intendit. Tunc vero hoc moderatioribus ſemper efficerem medicamentis, qualia ſunt infuſum aut decoctum ipecacuanhæ, oxymellis ſcillitici, cum tenui florum chamomillæ vel ſimilium infuſo. — Mera calida aqua vomitum ciendi methodum haud comprobo, cum antea immenſa ingurgitari debeat quantitas, quam vomitus excitetur, quæ nonnunquam ventriculum tantum in gradum aggravat, ut ejus robur ponderi in eo hærenti reſiſtere nequeat, neque iſtud rejicere valeat: ita ut quo plus bibitur, eo minus munere ſuo fungi poſſit, atque ſic nimium diſtentus prorſus imbecillis reddatur ventriculus, unde triſtes ſubſequi poſſunt effectus. — Ergo quocunque in caſu vomitus unam aut duas menſuras hauſtas non ſequitur, veſtro digito aut penna excitate evacuationem ac omni opera cavete hanc potus ingurgitationem, quæ ſæpius nimis præmature dari ſolet. — Qua occaſione exiſtimo, hanc obſervationem, ubi ventriculus nimium diſtentus nulla ratione agere neque ullam rejicere valet, haud ſecus ac urinæ veſica nimis repleta ne guttulam urinæ reddere poteſt, demonſtrare, *vomitum* a ſola *diaphragmatis* & *muſculorum abdominalium* actione non dependere, ut D. CHIRAC aliique aſſerunt; nam maximus eorum nixus ſæpius ne ſpeciem quidem alicujus effectus in ventriculum aut veſicam nimium repleta edit: — In hac, ut ſæpius ad catheterem confugiamus, cogimur.

Quod ſi poſt ventriculi ablutionem non ceſſat vomitus, parum theriacæ Andromachi cum convenienti mixtura ſtomachica detur, quæ ex ſale

abſin-

abſinthii, ſucco limonum, aqua menthæ, cæteriſque componi poteſt, ac fomentum aromaticum, vel potius cataplaſma ex ſpeciebus aromaticis cum theriaca paratum applicetur, quæ plerumque bene ſuccedunt, quando omnes aliæ res deficiunt.

Non ventriculus ſolum, ſed totus inteſtinorum canalis ſub febris initia evacuari debet; ego vero, rationem & experientiam, hoc efficiendi methodo moderatiore demonſtrare neceſſitatem, pro certo habeo; clyſmata ex lacte, ſaccharo & ſale, laxantia ex manna, cremore tartari, ſale cathartico GLAUBERI, tamarindis & rhabarbaro ſunt, quæ ego præ reliquis vel ſola ſuadeam. Ab acrioribus ac fortioribus purgantibus vidi effectus peſſimos. — Sennæ quoque uſum diſſuadet HOFFMANNUS (*). Antea propoſita mitiora & lenia emetica ac eccoprotica porro in eo præſtant, ut repeti & ſenſim ſenſimque dari poſſint, prouti putrida bilioſa colluvies primas in vias irruit. — Tali ratione ſollicitudo me non tenet, quin vomitum aut unam vel alteram alvi dejectionem promoveam, quando illud quocunque febris tempore guſtu oris amaro nauſeoſo, ventriculi ægritudine, ructibus nidoroſis fœtidis, nimia alvi obſtipatione, abdomine tumido, borborygmis, doloribus vellicantibus cæteriſque indicatur.

Quamquam crudos humores in principio, antequam fuerunt cocti, purgare generatim diſſuadet HIPPOCRATES (*); in principiis tamen, ſi humores turgent atque evacuationem moliuntur, pur-

(*) Vid. Opera Genevæ in fol. Tom. II. Cap. de Febribus petechial. veris p. 84. ſeq.
(**) Aphoriſm. 22. Sect. I. & Lib. de humoribus.

purgare comprobat: ſic cholera morbus eſt naturæ conamen bilem acrem ſuperabundantem removendi. — Quod ſi febres putridæ malignæ autumnales a choleræ aduſtæ putreſcentis, ut veteres appellavere, redundantia in hepatis, ventriculi cæterorumque regione exoriatur, quod ſæpiſſime fieri ſolet, quando calida æſtas præ-greſſa bilem, ſalia & olea animalium inſigniter auxit & exacuit; tunc profecto talia moderata emetica & cathartica, qualia propoſui, mox in principiis ſunt adhibenda.

Bilis partes procul dubio in omnibus putridis malignis & petechialibus febribus nimium præ aliis dominantur. — Fellis veſica ductuſque biliferi ſemper in illis nigra & viridi bile repleta inveniuntur, qui morbo peſtilentiali fuerunt necati; ſic quoque ventriculus duodenum, cæteraque. (*) — Quod ſi nunc putrida hæc bilis non educitur, iſta magis magiſque corrumpitur, & magnam anxietatem, ventriculi ægritudinem, dolorem cæteraque excitat, atque reſorpta & ad ſanguinem delata mala inducit infinita, genus nervoſum valde irritat, craſin ſanguinis deſtruit & lympham in arrodentem pervertit ichorem. — Itaque ubi ejus redundantiæ ſigna adſunt, eam ſine mora vomitu aut purgatione, prouti natura hoc indicat, evacuare oportet. — Summo aliquando cum gaudio his putridis in febribus mox poſt vomitus acceſſum vel unam alteramve alvi dejectionem perſpexi mutationem, qua mirum in modum levabatur ægrotus; ubi anxietas incredibilis, præcordiorum pondus, continua nauſea, ructus atque ſingultus præcedebant. Linguæ impuritas ſumma, nauſea & pon-

(*) Vid. Traité de la Peſte, Paris 1744. 416.

pondus ventriculi, cum guſtu nauſeoſo amaro, horribili, fœtente & inviſo ſpiritu atque ructibus rationem ventriculi declarant atque dejectiones intolerabiliter fœtentes, nigræ, bilioſæ hujus evacuationis & neceſſitatem & utilitatem indicant. — Quod ſi venenum aliquod in ventriculo aut inteſtinis hæret, de neceſſitate illud ut primum fieri poteſt educendi nulli profecto dubitabimus; atqui bilis ſane putrida minus parum eſt perniciosa, quam actuale venenum. Circa harum febrium ſtatum aut ſeptimum inter & decimum quartum diem natura propria ex voluntate per vomitum vel quod crebrius fit, per alvum laxam putrida iſta bilioſa colluvie ſe liberare, molitur; atqui ejus conſuetæ operationes ſemper arte ſunt adjuvandæ; ego quidem pro rerum ratione generatim die octavo aut nono moderatum exhibeo laxans, niſi quædam eruptio appareat, vel ſudor quidam bonus hoc interdicat. — Uſque ad hoc tempus raro ullum purgans præter mannam, cremorem tartari aut ſimilia in ipſo principio adhibeo (in primis ſi mihi morbum magis a contagio quam putrida a ſaburra ortum eſſe, enata ſit ſuſpicio) nihilo minus clyſma emolliens, laxans quolibet ſecundo aut tertio die, prouti ratio id poſtulat, injicere jubeo. — Laxans hoc toties de tempore in tempus repeto, quoties id ſymptomata indicant atque ejus operatione durante ægroto meo cardiaca diæta conveniente potu & medicamentis ſuccurro. — Qua ratione non ſolum congeriem & increſcentem corruptionem hujus putridæ bilioſæ materiæ in primis viis, ſed ejus quoque reſorptionem & tranſitum in ſanguinem præcaveo; atque pari modo ulterior morboſæ ma-

teriæ

teriæ effuſio in inteſtinorum canalem excitatur indeque ex corpore eliminatur. Quam moderatam purgandi methodum circa hoc tempus his in febribus per plures annos ſumme utilem inveni; ſed in purgantia ex *aloe*, *ſcamonio* & *colocynthide* parata increpo: quæ in tali putrido, diſſoluto, acri ſanguinis ſtatu ſunt venena, non medicamenta: & quicunque illis tali in caſu utitur, is cerebri ſui inteſtina, ſi ipſi talia ibidem ſunt, purget.—Nimis ſæpe profecto ſine iſtis fortioribus ſtimulantibus vires ſuas nimium intendit natura & ruit in profuſam diarrhœam vel dyſenteriam ſubito mortiferam, niſi refrænetur;— hoc vero plerumque incidit, ſi materia bilioſa corrupta nimis diu, ut eo magis putreſcat, in inteſtinis fovetur; atque his præveniendi, ut iſtam ex eis conveniente tempore ac juſtis intervallis expellamus, via eſt optima.—Quod ſi nobis talis immoderata minatur evacuatio, ad convenientia adſtringentia, alexipharmaca, theriacam Andromachi, Confect. Fracaſtorii, tincturam roſarum, vinum rubrum cum cinnamomo coctum confugere debemus, aſt præter hæc omnia, ſi caſus valde urget, clyſmate adſtringente ex confect. Fracaſtorii, vel theriaca Andromachi cum parva decocti tormentillæ, roſarum rubrarum aut terræ japonicæ quantitate parato ſuccurrere oportet.—Quarum vero uſus non parum requirit prudentiæ; nam diarrhœam criticam præmature ſupprimere, ſemper eſt periculoſum; atque ego quidem, hoc nunquam faciendum eſſe ſine eo, ut una aut altera rhabarbari præmittatur doſis, exiſtimo.—Antea, quam huic paragrapho finem impono, non poſſum, quin annotem, me diarrhœam, licet eam in ſtatu aut declinatione harum febrium ſæpiſſime criticam &

ſalutarem invenerim, generatim tamen in ipſo principio deprehendiſſe noxiam: ſi ea in primis valde tenuis, ſeroſa & profuſa eſt. — Nihil ſane magis, diarrhœam ſalutarem eſſe, demonſtrat, quam ſi bonus ſudor moderatus vel calidus cutis mador iſtam comitantur.

Quamquam natura ſæpius materiam morbi in febribus putridis malignis vomitu & alvo eliminare annititur; ejus tamen magis conſtans & maximum per cutis poros obſervatur conamen. — Me nunquam harum febrium aliquam cognoviſſe, quæ perfecte judicata aut ſublata ſit, donec major aut minor eruperit ſudor, ſancte aſſero. — Quando is moderatus, calidus & æqualis per totum corpus diffunditur, & is eſt, qui bonus appellatur; quando is circa morbi ſtatum accedit, & pulſus paulo ante liberior, mollior & tranquillior ſit atque eo durante ita manet, ſemper eſt ſalutaris: — aſt, ſi ſudor profuſior, frigidus, viſcidus & inæqualis circa caput & pectus tantum provenit, multo plura ab ipſo timenda, quam ſperanda ſunt. — Si quando ſudores in principio erumpunt profuſi, ii ſunt plerumque pernicioſi, ſi ſpeciatim ſuperveniat rigor.

Cum vero ſudores ſint utiliores, qui magis naturæ, quam artis ope excitantur; inde iſti nunquam nimis cito aut nimis fortiter ſunt extricandi vehementioribus medicamentis, regimine, cæteriſque; illum juvare & fovere ſufficit uberioribus ſubacidis diluentibus, moderatis cardiacis atque diaphoreticis; quæ præcipue ſalia diluunt & abluunt, acrimoniam temperant & majus putredinis incrementum ac ſanguinis diſſolutionem impediunt, tonumque ſolidorum conſervant & roborant.

Cum

Cum autem homines valde differentis conſtitutionis tam quoad fluida, quam quoad ſolida morbis afficiantur contagioſis, inde pro varia rerum ratione differens requiritur medendi methodus; illi, quibus ſunt fibræ fortes, atque ſanguis uberior denſus, non talibus calidis indigent medicamentis, qualibus debiles & phlegmaticos juvare opus eſt. Nihilo minus id in genere eſt annotandum, quod, cum ſanguis reliquique humores in febribus peſtilentialibus & petechialibus ad diſſolutionem, ſtagnationem ac putredinem inclinent, talis methodus, quæ vim vaſorum contrahentem tuetur & putredinis progreſſum avertit, ſit neceſſaria: vegetabilia & quoque mineralia convenientem in modum præparata acida huic conſilio maxime inſerviunt; & illi in primis conveniunt ſubaſtringentia alexipharmaca. — Salium autem atque ſpirituum alcalinovolatilium uſum valde eſſe periculoſum, pro certo habeo: cum ea procul dubio ſtatum humorum putreſcentem augeant eouſque ut plura irritamenta ad citiorem incitent, deſtructionem: — ſiquidem, largiorem horum uſum ſine ullius contagii acceſſu, in perfectiſſima quoque ſanitate corruptionem ac diſſolutionem ſanguinis, atque talem febris ſpeciem excitare, compertum habemus. — Fortaſſe miaſmata peſtilentialia ipſa nihil aliud ſunt, quam ſalia animalia ſumme volatilia & attenuata: — febres peſtilentiales a putridis cadaverum exhalationibus poſt prælia, oppugnationes cæteraque exortæ hoc oſtendere videntur.

Quæ nunc de ſalibus alcalino volatilibus propoſui, me ad uſus veſicatoriorum his in febribus promiſcui ducunt conſiderationem; utpote quæ

his in caſibus periculoſis tanquam certiſſima *ſpei anchora* a quibuſdam æſtimantur: hæc vero ſæpius nimis præpoſtero & minus conveniente modo, in principio præcipue, ubi febris increſcit, neque ullo indiget ſtimulante, applicari exiſtimo; cantharidum enim actio non tantum ſolam cutim, ſed totum quoque nervorum & vaſorum afficit ſyſtema: Igitur, quando irritatio & impulſus jam ſunt nimii, ut plerumque harum febrium in principio fieri ſolet, ea certe ſine ullo applicantur judicio. Siquidem harum muſcarum ſalia ſimili fere ratione ut ſalia alcalina volatilia vim ſuam exſerunt, & profecto diſſolutionem, indeque ſanguinis putredinem promovent. — Naturam nonnunquam incitamento indigere poſſe, imo ſæpe verſus harum febrium imprimis declinationem indigere, res eſt certiſſima; quando ſolida torpent, circulatio langueſcit, ſpiritus ſunt effœti, & comate corripitur æger; tunc veſicatoria ſunt applicanda & utilitatem præſtant eximiam, quocunque febris tempore talis ſymptomatum accedit ſeries. — Aſt in rerum antea propoſitarum ratione effectus valde pernicioſos nimis præpoſteram eorum applicationem ſubſecutos eſſe, vidi ſæpiſſime, quales ſunt pertinax pervigilium, delirium, urinæ ſuppreſſio, tremores, ſubſultus, cæteraque. Qua de re, ut antea juniores medici, quam liberaliores ſint cum *ſalutari hac ſeveritate*, BAGLIVIUM *de uſu & abuſu veſicantium* conſulant, auctor ſuaſorque ſim: iſtumque eo melius intellecturi ſunt, ſi antea ejus *tractatum de fibra motrice* & BELLINUM de *ſtimulis* perlegerint. — Quibus porro addatur, quod, ubi quædam in affectibus acutis cuti imponantur veſicatoria, æger ſerum lactis, emulſionem, aut alium quendam

ſub-

ſubacidum & demulcentem largiter bibere debeat liquorem: niſi fere tanta ab hoc remedio, quanta ab ipſo morbo, tolerare velit.

Camphoræ, magnæ, iſtius cantharidum acrimoniæ correctricis ut mentionem injiciam, jure expectari poteſt; atque hoc conſilio illa frequentius utor, cum, nihil *ſpicula* ſalium quam hoc ſumme *ſubtile, volatile, vegetabile ſulphur* efficacius obtundere, bene cognitum habeam; immo mercurii quoque præparationes hac multo redduntur mitiores. — Aſt in his putridis petechialibus febribus eam multo præſtantiorem ob finem, diaphoreſin vel lenem ſudorem promovendum, convenire exiſtimo, qui in univerſum talibus in caſibus maxime invenitur ſalutaris: nihil vero profecto hoc magis, quam camphora efficit, quæ eo magis præſtat, cum non tantum, quantum alcalino volatilia ſalia & ſpiritus ardentes excitet calorem. — Siquidem ejus anodyna & demulcens qualitas in erethiſmo pacando & ſpirituum tranquillitate atque blando ſomno inducendo, quando opiata nihil juvant, immo tumultus celeritatemque augent, eam multo reddit utiliorem. — Quæ profecto cum opiato quodam conjuncta ſudoriferum in rerum natura eſt minus fallax; atque *elixirium aſthmaticum* vel *paregoricum* non ſolum ob hanc, ſed alias quoque ob rationes medicamentum eſt præſtantiſſimum. Quod ſi vero unquam his in febribus dantur opiata, ea parca quantitate dari debent pro doſi, quæ toties, quoties indicatur, repetatur: *theriaca Andromachi*, *mithridatium*, *diaſcordium & elixir paregoricum* procul dubio ſunt optima. Camphora interim hoc laborat vitio, quod ſtomacho valde diſpliceat, quando autem in vini aceto calido diſſolvitur (vel potius cum eo miſcetur intimius)

mius) ad normam *julapii e camphora*, tunc eo facilius perfertur & eſt medicamentum eximium, quod in febribus putridis malignis atque in peſte ipſa egregie convenit: ab omnibus enim fere medicis in morbis peſtilentialibus maxime commendantur & camphora & vini acetum. Utriſque maxima cum utilitate in peſte *Marſiliana* cæteriſque uſi ſunt medici *Galli*, atque HEINISIO (*) ob utilitatem, quam in peſte *Veronenſi* beneficio medicamenti, cujus baſis erat camphora, præſtitit, erecta fuit ſtatua.

Itaque cum acida & ſubadſtringentia in febribus putridie malignis & petechialibus exhibere, ſimus obſtricti, ut ſanguinis craſin & vaſorum tonum conſervemus, majoremque humorum putredinem præveniamus; inde diaphoretica (quorum præcipuum eſt camphora) cum illis jungi debent, ut libera perſpiratio aut ſudor moderatus foveatur, quem illa retardare inclinant: hoc omnino cum veterum medendi methodo convenit, qui alexipharmaca cum adſtringentibus in antidotorum compoſitionibus commiſcebant, prouti videre eſt in *Andromachi theriaca*, *mithridatio*, cæteriſque. — Ea hoc reſpectu magis convenire, habeo perſuaſum. — Hæc antiquitatis applauſu fuerunt excepta, & ſunt procul dubio medicamenta eximia (quando illis rite utimur) licet varia tam quod ad quantitatem, quam ad qualitatem, in illis deprehendantur ſuperflua. — *Alumen* & *nucem myriſticam* in in aliis febribus, præter intermittentes, ſi parca in primis *camphora* & *crocus* cum eis junguntur, cum utilitate dari, haud ignoro.

Liceat

(*) Vid. ETMULLER opera, Tom. II. de peſte p. 426. edit. Francof. 1697. fol.

Liceat mihi, ſequentem corticis peruviani præparationem hic inſerere, qua bono cum ſucceſſu per aliquot annos non ſolum in intermittentibus & lentis nervoſiſque febribus, ſed quoque in putridis, peſtilentialibus & petechialibus, ſpeciatim in eorum decremento uſus ſum; & licet quidem ſæpius remiſſio valde eſſet obſcura, optatum tamen edidit effectum. — Quod ſi vero ægroti alvus obſtipata vel ejus abdomen inflatum & tumidum ſit, doſin aliquam rhabarbari, mannæ aut ſimilium præmitto.

℞. *Cort. Peruv. opt. pulv.* ℥ii
Flaved. Aurant. Hiſpan. ℥ß
Rad. Serpent. Virgin. ʒiii
Croc. anglic. ℈iiii
Coccinel. ℈ii
Spir. Vini Gallici. ℥xx
F. Infuſio clauſa per dies aliquot (tres ſaltem quatuorve) deinde coletur.

Hujus medicamenti ʒi uſque ad ℥ß quarta, ſexta aut octava hora cum decem, quindecim aut viginti guttulis elixirii vitriolii aliqua conveniente potione vel vino diluto exhibeo. — Quod ut hac ratione tanquam officinale medicamentum paratum & promptum ſervetur, jubeo, atque ut admodum ſalutare ad experimenta cum eo capienda aliis commendo. — Quod quoque interdum in intermittentibus, ubi corticem in ſubſtantia vel ejus decoctum difficile fert ægrotus, convenire ſatis ſcio: & hoc ſæpe medicamenti auget præſtantiam, quando id, quod in forma ſolida diſplicet, in fluida propinari poſſit: ideoque ubi hoc convenienti efficacique ratione fieri poteſt, illud fiat. — Antea propoſita compoſitio ſolida roborat, majorem ſanguinis diſſolutionem &

corruptionem avertit, tandemque ejus craſin reſtituit; — atque hoc ſine eo, ut cutis pori nimium claudantur, efficitur, quod tamen cortex in ſubſtantia nimis frequenter efficit. — Id enim annotandum eſt, quod, licet ſudores nimium profuſi in his (&, ut credo, in omnibus febribus) ſint noxii, lenes tamen, mites & moderati ſemper, in ſtatu in primis & declinatione propriis largiſque diluentibus, alimentis liquidis, cæteriſque promoveri debeant. — Nam cum hæ febres haud raro longius trahantur, reficiens ſane potus & diæta neceſſario requiruntur, quibus deficientibus ægrotus certe ſupprimitur. — Hoc illoque ſupra propoſito reſpectu, quin *vinum generoſum rubrum*, ut præſtantiſſimum a natura datum cardiacum ſubadſtringens, & quo arte vix melius quidquam præparari poteſt, commendem, facere non poſſum. — Ego vero, iſtud nonnunquam in ſtatu & multo frequentius in declinatione febrium putridarum malignarum, quando in primis ſucco aurantiorum hiſpanienſium aut limonum acidulum redditur, utilitatem afferre maximam, certo certius ſum perſuaſus. — Aromatibus quoque quibuſdam, qualia ſunt cinnamomum, cortices aurantiorum hiſpanienſium, roſæ rubræ, aut aliis ſimilibus indicatis impregnari & paucæ quædam elixirii vitrioli guttulæ addi poſſunt. — Ego quidem cum ASCLEPIADE (*) *utilitatem vini æquari vix cum deorum potentia* non loquar; id tamen procul dubio non in vita communi ſolum, ſed quoque in medicina admirandam præſtat utilitatem. — Vinum album *Rhenanum* aut *Gallicum* aqua dilutum potionem variis in febrium ſpeciebus exhibet admodum ſaluta-

(*) Conf. PLINII *Hiſtor. natural.* ex Edit. HARDUIN. Pariſ. 1723. fol. Tom. II. p. 301.

lutarem & vinum generoſum pomaceum his parum eſt inferius. — Atque ut antea propoſui, bonum vetuſtum rubrum vinum eſt egregium julapium ſubadſtringens cardiacum. — *Aſiaticæ* aliæque gentes, ubi morbi peſtilentiales ſunt ſolemniores quam apud nos, limonum ſucco his in febribus majorem efficaciam, quam maxime celebrato alexipharmaco tribuunt. In his non minus, quam pluribus aliis in rebus fieri ſolet, ut arte quæramus, quod provida natura multo melius & efficacius nobis offert; ſi modo nobis tanta & diligentia & ſagacitas eſſet, ut illud cognoſcere illoque uti poſſemus. — Ego vero non poſſum, quin hic profitear, me exiſtimare, partem medicinæ diæteticam nondum ita, ut meretur, eſſe pertractatam. — Quam naturæ convenientiſſimam medendi viam nobis demonſtrare pro certo habeo, licet profecto minus ſit pompoſa, quam boli alexipharmaci, potiones febrifugæ & cardiaca julapia.

Cum vero ſequentem diſſertationem præcedentem doctrinam plenius illuſtraturam & confirmaturam eſſe putem, eam huic nunc ſubjungam.

DISSERTATIO

De Variolis.

Unius ejuſdemque morbi varii effectus in varia ſolidorum & fluidorum conſtitutione nullo in caſu magis, quam in variolis ſunt evidentes. — Primo enim, quando varioloſo contagio homines fibris tenſis, fortibus & ſanguine uberiori denſo prædi-

ti afficiuntur, vehemens plerumque febris accedit inflammatoria; ubi interdum pulmones, interdum cerebrum, interdum fauces & aliæ partes inſigniter inflammantur, & ſanguis in detractione occurrit valde craſſus & inflammatus; atque interdum ejus detractionem repetere cogimur, niſi ægrotum phrenitide violenta abripi aut peripneumonica inflammatione jugulari velimus.—Hic pulſus eſt rapidus, plenus, tenſus; reſpiratio calida, brevis & laborioſa; æſtus acrior & urina colore profundiore tincta; ſitis ingens, lingua arida & impura; capitis, dorſi, lumborum, crurumque dolor acutiſſimus.—Symptomatibus talibus præſentibus ipſa in peſte aut profecto quocunque alio in morbo ſanguinem detraxerim, ne periculum a ſanguinis diatheſi inflammatoria, nulla contagii habita ratione, oriatur maximum.

Nullo vero modo ſanguinis emiſſionis uſum promiſcuum, adeo frequenter in omni variolarum impetu adhibitum, comprobare poſſum.—Secundo enim hic morbus interdum cum conſuetis febris lentæ & nervoſæ ſymptomatibus accedit & ægroti ſæpius diu animo ſunt demiſſo (drooping) ut vulgo dicitur; febris eſt lenta, ſpiritus abjecti, pulſus debilis, celer & tremulus, os pallidum & langueſcens, urina cruda & tenuis, nulla ſitis ingens, nullus æſtus major, continua capitis vertigo & gravitas cum tremore, nauſea perpetua & vomendi conatus, univerſalis inquietudo, languor, debilitas, cæteraque. Hujus generis ſymptomata per ſeptem octoque dies durantia tandemque variolis finita vidi; quæ ſemper fere pejorem aliquam earum ſpeciem pallidas, crudas, depreſſas & ſeſſiles præ-

prænunciant, quæ neque bene erumpunt, neque mitius matureſcunt, ſed depreſſæ & flaccidæ remanent, vel in magnas aqueas confluunt veſicas tenui & crudo ichore repletas, atque ita uſque ipſum ad finem perdurantes: donec iſtæ in ore colorem lividum, palleſcentem cadaveroſum mutent in fœdam, nigram, valdeque adhærentem cruſtam, ſi ægrotus tam diu vitam trahit & tunc temporis generatim eæ fiunt mortiferæ.

Tertio variolas interdum febris quædam maligna aut petechialis comitatur, ubi ſanguinis craſis omnino diſſolvitur, nigræ lividæque apparent maculæ, hæmorrhagiæ accedunt, & puſtulæ mox poſt eruptionem nigræ gangrænoſæ & cruentæ fiunt, idque ſæpiſſime fieri ſolet, quando variolæ paucæ ſunt & diſcretæ. — Ergo hic tria differentia febris genera ab una contagii ſpecie excitata deprehendimus, atque ut in medendi methodo non minus febris ſingularis, quam peculiaris morbi contagioſi indolis rationem habeamus, officii ratio poſtulat.

Itaque ex his videre eſt, quam perverſa ſit generalis iſta opinio tam de calido, quam de frigido regimine in omnibus omnium variolarum ſpeciebus adhibendo. — Interdum SYDENHAMI, interdum MORTONI convenire poteſt methodus. — Breviter, quilibet caſus ſingularis ſingularem requirit methodum, atque medici attenti eſt, ut ejus judicium juſta harum rerum diſpoſitione declaret.

Licet variolarum contagium eandem morbi ſpeciem excitet, morbus tamen ipſe gradu admodum differt. — Unum idemque contagium in una eademque domo, familia aut pago ſæpius

valde

valde differentes variolarum producit ſpecies; aliæ erunt valde benignæ & diſcretæ, aliæ valde malignæ & periculoſæ. — Innumera occurrunt exempla, ubi primus benigna admodum ſpecie, hunc vero excipiens confluente, maligna & mortifera afficitur: hæc quotidiana docet experientia; nihilo minus, dum hæc cuncta fiunt; & peſſima in ſpecie intermedia benigniſſimarum incidunt exempla. — Ita ut omnis in eo conveniat demonſtratio, conſtitutionem ſingulorum ægrotorum multum mutare ſubſequentem morbum. — Atque hoc in omni fieri ſolet caſu: ſic enim conſueta quædam ſcabies in alio ſuppurat & pertinax efficit ulcus, in alio ingens dilaceratum vulnus vix ulla vel nulla cum difficultate ſanatur. — Phlegmone vulgaris in alio reſolvitur aut bene ſuppurat, in alio fit gangrænoſa, ſcirrhoſa vel canceroſa.

Variolarum contagium non ſemper febrim, ad minimum inſignem aliquem in gradum excitat, licet variolas afferat: nam plurimi infantes & adultioris quoque ætatis homines iis via naturali tam mitem in modum laboraverunt, ut neque febris ſenſibus evidens adeſſet, neque ulla re tam ante illas, quam per totum earum decurſum male afficerentur. — Variolarum pus ſæpius illorum cutim inficit, qui iſtis jam laborarunt, cum multas puſtulas excitet, quæ illis variolarum omnino ſunt ſimiles, cum tam diu perdurent & æquali ratione matureſcant, ſed ſine ulla febre. — Quod illis ſæpiſſime contingit, quibus res eſt cum hominibus hoc morbo affectis, in primis vero illis, quorum cutis eſt mollis & tenerior. — In his contagium tantum glandulas cutaneas cæteraque, non vero ſanguinem afficit, quem olim ita mutaverunt

verunt variolæ, ut poſtea id nunquam ſuſcipiat. — Peculiares quædam deprehenduntur conſtitutiones, quæ nunquam hunc morbum ſuſcipiunt; quidam enim homines nullo unquam tempore variolis affliguntur, licet frequenter eas tractent, & quoque hominibus eis laborantibus ſuccurrant. Nutricem vetulam & pharmacopœum cognoſco, qui per plures annos magno hominum numero in variolis auxilio fuerunt, nihilo tamen minus nunquam iſtis fuerunt affecti. Quid? quod quidam, ut earum contagio afficerentur, ægrotantium hypocauſta ſedulo, ſed fruſtra viſitavere; — at enim vero quidam iſtorum hominum nonnullis menſibus aut annis poſt variolis fuerunt affecti. — Variolarum pus per inoculationem non quemlibet inficit; atque pus ex uno eodemque homine deſumtum varias variolas in variis hominibus, varioſque febris gradus excitare, ſatis compertum habemus. — Itaque ex his omnibus, ſtatum ſanguinis & humorum indolem præcedentem multum & ad quantitatem & ad qualitatem variolarum determinandam conferre, manifeſtum eſt. — Non, quod miaſmata contagioſa multo pejoris & efficacioris indolis alio tempore aut alia aeris temperie eſſe nequeant; atque re vera in rerum natura ita fieri, deprehendimus. — Sed idem illud peculiaris aeris ſtatui proprium eſſe videtur, ut alia aliaque ratione ſolida & fluida afficiat, quæ ea aliis aliiſque febribus reddat obnoxia; — aliam enim athmoſpheræ conſtitutionem ad febres inflammatorias, aliam ad febres lentas & nervoſas, remittentes, intermittentes cæteraque, ac aliam ad putridas, malignas aut petechiales excitandas pronam invenimus. — Igitur quando contagium cum una vel altera conſtitutione accedit & cum illa ſi-

mul

mul agit, unam vel alteram variolarum vel potius febris cum variolis excitabit ſpeciem. — Nam haud raro profecto, pertinacem admodum febrim paucas quidem valdeque diſcretas, aſt malæ indolis comitari variolas, deprehendimus. — Ego quidem, conſuetam aliquam febrim epidemicam manifeſte ſimul cum variolis acceſſiſſe & contagium variolarum ſolum variaſſe morbum, vel potius, febrim epidemicam ſimul cum variolis unum idemque ſubjectum affeciſſe, ſæpius obſervavi. — Quod ſæpiſſime annis 1740. 1741. 1745. incidit; in quibus febris violenta epidemica ex peſtilentialium genere his præcipue locis inter *nautas*, *milites* & *captivos* (ſpeciatim horum annorum poſteriori) ſæviebat, ubi plerumque ſymptomata febris malignæ cum variolis conjunctæ occurrebant evidentiora, ideoque iſtis inſigniter erant mortifera; cum e contrario hominum plurimi locis vicinis, quibus nullum cum noſocomiis erat commercium, aliaſque ſatis valebant, ſpecie afficerentur benigniori. — Atque febris hæc maligna probabiliter a peſſimo corporis habitu ſcorbutico, vitæ ratione, carcere, cæteriſque, quibus iſta hominum turba erat ſubjecta, dependebat: — quamquam, febrim anni 1740. (*) alius fuiſſe originis, exiſtimo.

Inde videri poſſet, ſi peculiarem quandam ſanguinis atque humorum indolem conſervare aut excitare poſſemus, vis quoque contagii eludi poſſe: & hoc ſane quorundam fuit aſſertum, quod tamen infirmo admodum inniti talo exiſtimo. — Peculiares quaſdam corticis peru-

viani

(*) Vid. hujus hiſtoriam, Obſerv. noſtr. de aere & morbis epidem. Vol. II. menſ. *Junio* 1740.

viani & mercurii præparationes, ut antidota, admodum ſalutares eſſe, quidam putaverunt, & quædam mihi nota ſunt exempla, quæ, ut iſtis aſſentiar, me pronum reddunt: ſed mihi vix ita ſatisfaciunt, ut eas ſuadeam vel iis accedam.

Unum idemque profecto medicamentum varia in conſtitutione varios edit effectus, & temere ageret, qui corticem & roborantia cardiaca cuidam fibris fortibus & rigidis ac ſanguine denſiori viſcido prædito ut *prophylacticum* aut *præparans* dare velit; licet iſta in ſtatu vaſorum debili & laxo ac tenui aquoſo ſanguine magnam utilitatem afferre poſſint. — Num mercurialia in nimis laxe cohærenti & diſſoluto ſanguinis ſtatu conveniant? — Quidam ſane mali effectus ab uſu eorum obvenerunt, ſpeciatim petechiæ, hæmorrhagiæ, & profuſæ diarrhœæ in ſubſequentibus variolis, licet, ea pro rerum ratione alias ſalutaria eſſe poſſe, haud ignorem. — Itaque, ut brevibus omnia complectar, quicquid hac in re ratione effici poterit, id eo reſpectu fieri debet, ut quicquid in quadam conſtitutione vitio quodam peccat, corrigatur & quicquid deficit, addatur; ita, ut ea vel contra morbi impetum muniatur, vel præparetur, ut iſti melius reſiſtat, ſi eo jam correpta eſt. — Fortaſſe brevis hæc admonitio illorum in primis conſideratione non prorſus erit indigna, qui præparationi & tractationi hominum, quos inoculare volunt, præſunt.

Quod ſi homines variolarum contagium via naturali recipientes, juſto modo præparentur, multo majorem numerum eis mitiori ratione affici, perſuaſum habeo: procul enim dubio pejor variolarum ſpecies ſæpius a nimia ſanguinis copia,
humo-

humoribus acribus, aut magno impuræ materiæ pondere in primis viis hærente oritur; & haud raro, ut primum contagium fuit ſuſceptum in diæta, corporis motu, cæteriſque committuntur errores, qui ſæpius in fine effectum edunt mortiferum. — Ab his illi, quibus variolæ ſunt inoculatæ, præcaventur & præcaveri debent, indeque hujus operationis optatus dependet ſucceſſus. — Non quod benigna variolarum ſpecies, a qua *pus varioloſum* eſt deſumtum & parva admodum materiæ inficientis quantitas per inſitionem recepta aliquid ad morbi benignitatem quadam ex parte conferre nequeat. — Hac in re fortaſſe totum inoculationis conſiſtit negotium, ſi id quoque ſimul perpendere volumus, quod ea tantum in junioribus, intrepidis & perfecte ſanis adhibeatur.—Cæterum innumera proſtant exempla, quæ optatum hujus methodi evincunt ſucceſſum & utilitatem; & licet quoque adverſariis præjudicia contra hanc mota concedamus, variolarum tamen via naturali obortarum periculum ad minimum decies, quam in hac, erit majus.

Itaque, quando & ratione & bono cum ſucceſſu variolis mederi volumus, tam ægrotorum quam aeris conſtitutionis peculiaris habenda eſt ratio, idque profecto opus eſt in omnibus aliis morbis epidemicis.

Primo enim robuſta & vegeta conſtitutio viſcidioribus ac denſioribus prædita eſt humoribus atque rubro, globulari & compactiore abundat ſanguine; indeque naturaliter majori febri & graviori inflammationi eſt obnoxia, quam homines fibris laxioribus & ſanguine tenui aquoſo præditi; illamque ob cauſam omni in caſu

melius

melius evacuationes & ſanguinis præcipue detractionem perfert.

Igitur in illis prudentis medici eſt, in variolarum impetu aliquam ſanguinis partem detrahere, &, ſi ſymptomata increſcant, id repetere. Pulſus plenus, tenſus, celeriter tremens, ingens calor, reſpiratio calida & difficilis, oris color nimius, oculorum rubor, phrenitis cæteraque id in primis requirunt: capitis dolor acutus, oculorum inflammatio, & arteriarum temporalium carotidumque tremor, cerebri aut ejus meningum denotant inflammationem, quam cito ſatis removere, vix nimium eſſe poteris ſollicitus. — Poſt ſanguinis convenientem quantitatem ex brachio detractam, ejus in pede emiſſio generatim effectum præſtat mirandum & exoptatum.

Sanguinis emiſſio talibus in caſibus vix eruptionem, ad minimum ultra juſtum ejus terminum non retardat. — Ubi ſanguis ſpirituſque valde agitati ejus circulationem ſummæ rapidam reddunt, natura eo magis perturbata, nulla ordinata via materiam morboſam expellere, multo minus concoquere, aut quoque conſuetas naturales efficere valet ſecretiones; — in conſuetis febribus ardentibus atque inflammatoriis haud raro ſanguinem iterum iterumque emittere antea eris coactus, quam ullum evocare poteris ſudorem. — Siquidem in omnibus eruptionibus criticis, ad minimum in illis, quæ ſalutares ſunt, quædam concoctio eſt neceſſaria; ideoque mox, ante aut in ipſa eruptione urina magis aut minus deſidit & febris remittit. — Quando omnia nimis ſunt agitata & variolæ nimis cito, ſæpius intra triginta horas expelluntur, febris continuat, eventus fere ſemper eſt mortiferus. — Neque ſanguinis

guinis detractio hac rerum in ratione naturæ vires infringet; ſed cum fluidi vitalis motus nimis vehementes compeſcat & ordinatam magis ſpirituum animalium ſecretionem efficiat, iſtas magis juvabit, immo in ejus operatione ſuccurret.

Sanguinis ex pede detractionem, ſatis notum eſt, admodum efficacem efficere revulſionem a capite & pectore, quas partes tantum, quantum fieri poteſt, contra hujus morbi violentiam defendere debemus. — Atque hoc conſilio, ut pedes & femora calida aqua vel lacte & aqua per aliquot minuta bis aut ter de die ante eruptionem vel in ipſa foveantur, ſuadere velim: ac pari ratione *cataplaſmata ex pane & lacte, rapis coctis* vel ſimilibus parata pedibus applicaverim. — Qua medendi methodo per plures annos cum ſucceſſu uſus ſum, & quam ſpeciatim brevi quadam in Diſſertatione de variolis anomalis, quæ his locis 1724. & 1725. (*) graſſabantur, propoſui. — Hæc majorem ſanguinis quantitatem verſus partes inferiores alliciunt, ideoque caput & pectus levant; & cum majorem ſanguinis copiam detrahant, inde quoque majorem varioloſæ materiæ copiam ad has partes amandare debent, &, quod maximi eſt momenti, eruptionem in eis ſublevat; quibus imminuitur quantitas, quæ alias in capite cæteriſque partibus erumpere potuiſſet: præter ea relaxans calidorum balneorum qualitas ſimul ſanguinis impetum compeſcit eumque aliqua ratione diluit. Variolarum ingentem numerum, quando hac utimur methodo, in femoribus & pedibus erumpere ac in eis interdum cataplaſ-

matum

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions No. 390. & hic recuſam vid. Tom. III. p. 16.

matum applicatione dolores excitari ſeveriores, res eſt certiſſima. — Puſtularum in capite, collo & pectore copia eſt, quæ adeo juſte extimeſcetur: conſuetum oris & capitis eryſipelas, quam artuum inferiorum multo profecto eſt periculoſius. — Itaque caput nunquam nimio fovendum eſt calore, ſed id, ubi in primis denſis obſitum eſt pilis, tondere ante eruptionem oportet; quo non caput ſolum redditur frigidius & cavetur, ne puſtulis nimium obruatur, ſed præter ea quoque varia triſtia in morbi progreſſu avertuntur ſymptomata.

Quod ſi vero febris nihilo ſecius exacerbaretur, & eruptio ratione haud ordinaria procederet, ut non minus femora & pedes, quam manus & brachia, quid? quod ipſe corporis truncus balneo foveatur, auctor ſuaſorque ſim. — Quod adhibendi pluries ſeſe mihi obtulit occaſio in infantibus, quibus *balneorum frigidorum* uſu ob rachiticos morbos cutis naturali denſior & durior reddita erat, quod eruptionem probabiliter ultra juſtum terminum retardat. In quorum altero, (qui nunc fortem vegetumque virum agit nobilem) haud prius, quam die ſexto apparebant variolæ, licet in principio febre afficeretur vehementiore; & tunc, poſt balneum ex aqua & lacte pectori applicatum, variolæ quidem benigniores, quamquam ſatis copioſæ erumpebant. — Balneo hac ratione corpus fovere, non caput & pectus ſolum ſublevat, ſed & materiam ad externas corporis partes allicit, ejuſque eruptionem in ſumma cute promovet, quibus partes internæ & ad vitam magis neceſſariæ hujus morbi violentiæ minus efficiuntur obnoxiæ: *variolarum puſtulas in pulmonibus, abdominis viſceribus*, cæteriſque effectum ediH 2 diſſe

diſſe mortiferum, nimis crebro fuit deprehenſum. — Hæc vero non prorſus nova eſt methodus: RHAZES (*) enim, ut ægroti *balnei vaporis* ſpecie ad eruptionem levandam foveantur, ſuadet.

Interdum fortes & plethorici magna ſpirituum dejectione, univerſali debilitate, conjuncta cum tardo atque ſuppreſſo pulſu in ipſo variolarum acceſſu corripiuntur; quæ medicos minus expertos, num ſanguinem emittere debeant, dubios reddit; quamquam hic pari ratione neceſſarium ſit, nihilque ægrotum citius juvet, ſi præcipue hæc maxima ex parte a morbi metu & terrore ortum trahant: quod ſæpiſſime fieri ſolet in hominibus adultis, qui, in tranſitu ſit dictum, optime perferre poſſunt ſanguinis detractionem, niſi ſenectute propius abſint. Non enim contagium ipſum tantum ſpiritus fortaſſe animales præ reliquis afficit, ſed magnus quoque metus & inquietudo ita naturæ vires diſturbat & debilitat, ut cor & vaſa contrahentia multo minore vi fluida propellant contenta; inde ordinariæ excretiones, ſpeciatim illæ, quæ maximi ſunt momenti, fluidi nervei & perſpirationis inſigniter imminuuntur, ita ut inde moles movenda augeatur & vis motrix diminuatur. — Itaque ſi ſanguinis aucti pars quædam hac rerum in ratione detrahitur, id tandem virium motricium compenſat augmentum. — Siquidem ſi viſcidorum humorum pars aliqua detrahitur, illud, quod remanet, eo facilius attenuatur & magis aptum redditur, ut principium agens, ſeu ſpiritus animales juſta quantitate exhibeat. — Igitur aliquis ſanguis tali in caſu tam cito, quam fieri poteſt, ſed non nimis

larga

(*) Vid. RHAZES de variolis & morbillis Cap. VI. ex edit. MEAD.

larga quantitate & uno impetu detrahi debet.— Magis profecto conducit, ſanguinis detractionem repetere, ſi neceſſe eſt, ad minimum orificium nonnunquam occludere, niſi ægroto ſupino aut reclinato detrahatur ſanguis.

Porro vero, quando timor immoderatus & ſpirituum dejectio cum morbo occurrunt, tunc ſane, ut quoque in ipſo morbi initio aliquid, quod indolis eſt cardiacæ & id interdum quidem ut non adeo parca exhibeatur manu, neceſſe eſt. Ergo; quando ſanguinis quantitas ſuperabundans detracta eſt, tali excitante eo majori cum utilitate & ſucceſſu uti poſſumus, atque ab illis effectus ſæpius vidi eximios, quando puſtulæ ob metum ægroti inſignem & ſpirituum oppreſſionem in cute quaſi ſepultæ latebant & per duas aut tres dies vix ullo modo elevabantur. — Ego quidem *regimen calidum* in variolarum præcipue acceſſu non adeo probo; in tali autem caſu id adhibendum atque veſicatoria ad contractilem vaſorum vim quieſcentem excitandam applicanda eſſe, haud ignoro, aut morbo certiſſime ſupprimitur ægrotus. — In genere vero veſicatoriorum uſum in variolis præmaturum non commendo, niſi maximam habeamus rationem verendi, ne lingua, fauces & narium viæ pari modo ut aliæ iſtis valde infeſtentur: ſi quando morbus irruit cum raucitate, dolore vel magno æſtu oris fauciumque atque inſigniter acri rheumatiſmo aut narium obſtructione, frequenti ſternutatione & tuſſi irritante, hæc expectanda ſunt, niſi tempeſtivis avertantur veſicatoriis, quæ ſæpius inveni valde ſalutaria. — Crebrior ſternutatio & oris nariumque fluxio demonſtrant, *membranam Schneiderianam*, commune harum viarum velamen, inſigniter affici atque ab illis revulſi-

nem indicari; nam paucæ tantum puſtulæ in faucibus & naribus periculoſiores ſunt, quam centum in ſumma cute: dolor ingens & ſpirandi deglutiendique difficultas ſunt certiſſimi effectus inprimis verſus morbi finem, qui ſæpiſſime ægrotum jugulant, niſi gragariſmatibus, injectionibus cæteriſque diligentius ſuccurras. — Nonnunquam ad has partes talem vehementem inveni affluxum, ut ſalivationem etiam in principio excitaret profuſiorem, quæ ægrotum perpetuo vigilem retinebat, labia, linguam & fauces corio privabat ac adeo inſignes excitabat dolores, ut ægroto omnem adimeret ſomnum & potus, alimentorum, cæterorumque deglutitionem omnino efficeret intolerabilem: hic, ut nuchæ, poſt aures, aliiſque partibus citius applicentur veſicatoria, quam maxime eſt neceſſarium.

Secundo vero, quando homines fibris laxis, debilibus & tenui macroque ſanguine præditi, aut qui paulo antea magnas perpeſſi ſunt evacuationes, variolis infeſtantur, cave, ne lanceolam applices, ſi ægroti vitam ſervare velis. — His generatim eſt os pallidum, triſte, pulſus debilis, celer, tremulus, ingens ſpirituum dejectio, cum urina pallida, cruda, turbida vel limpida, horror & æſtus alternant, parum ſitiunt, neque magno de dolore, ſed de perpetuo languore, ventriculi ægritudine, vertigine, cæteriſque conqueruntur. Hic vinum canarienſe & crocum ſimul cum aliquo mitiori cardiaco aut nervino medicamento, ſerum lactis cum vino canarienſi paratum, aquam cum vino aut ſimile quid convenire, reor. — Quæ vero cuncta ſine largiore doſi ſalium & ſpirituum alcalino volatilium, radice ſepentariæ virginianæ, ſpiritu vini, vino meraciore cæteriſque

ſunt

ſunt danda. — At enim vero ſatis largam vini quantitatem in lentis quibuſdam & abjectis caſibus maxima cum utilitate datam fuiſſe, vidi: ita quoque tali rerum in ratione veſicatoria & ſtimulantia cataplaſmata pedibus applicari poſſunt; non adeo convenire videntur balnea.

Singulare quoddam eſt remedium, quod eruptionem variolarum in hoc lento & langueſcente caſu promovet, quando puſtulæ ratione haud ordinaria ad conſuetum tempus erumpunt, ſed cum exigua vel nulla elevatione & colore minore in cute quaſi ſupultæ hærent, & hoc eſt *leni emetico* excitatus *vomitus*. — Quam fere ſemper hoc in morbo ſponte molitur natura, atque nos ſequi debere ejus indicationem, exiſtimo; hoc enim non materiæ morbi pars ſolum, quæ ventriculum afficit, ſed quoque illa colluvies lenta, putrida, quæ in eo, hepate, fellea veſica, cæteriſque fuit collecta, rejicitur. — Vomitus actionem perſpirationem per cutim, ſudorem & puſtulas expellere, cognitum eſt omnibus. — Vomitu ſanguinem nimium in cerebrum impelli, his objici, haud ignoro; indeque is in variolarum principio minus conducit; atque ego quoque, ſi in plethorica conſtitutione ante ſanguinis miſſionem exhibetur, conſentio; quid? quod ex uſu eorum perverſo terribilia vidi ſymptomata. — Aſt perpendamus, naturam ſemper, ſine artis aliquo irritamento, in illum inclinare & fere perpetua, licet ſæpius fruſtranea ad ventriculum evacuandum adhibere conamina: nunc, nos ejus motus adjuvando & convenienti diluente ejus conaminibus ſuccurrendo, molimina inſigniter promovere poſſe, vomitumque ipſum eo citius ceſſare, res eſt certiſſima; atque, vomitum poſt eruptionem perfe-

ctam prorſus diſparere, hanc ipſam autem hoc modo eo magis fuiſſe promotam, notatu eſt dignum.—Pedibus mox poſt emetica ob rationes facile cognoſcendas applicaverim cataplaſmata.

Emetica porro plerumque bonum hunc edunt effectum, ut aliquas alvi dejectiones moveant, quibus inteſtina a duris craſſiſque ſcybalis aut putridis bilioſis contentis liberantur; quod ſi hoc non incidat, mox clyſma emolliens laxanſque eſt injiciendum: atque quibuſdam in caſibus moderatum, lene & refrigerans catharticum ex manna, cremore tartari, ſale GLAUBERI aut rhabarbaro requiritur: ſi quoque diarrhœa urget, unam vel alteram rhabarbari doſin dare oportet.

Aeris conſtitutio differens differentes effectus in ſanis eoque magis in ægrotis & debilibus, indeque etiam in morbis edit.—Aliam atmoſphæræ conſtitutionem progreſſum morborum epidemicorum, ſpeciatim variolarum promovere, aliam vero retardare, diu jam obſervatum eſt; quæ variolæ alio tempore in angulo oppidi vel civitatis remotiori ingruunt, & ſubito totam infeſtant; alio vero in ejus intimo oriuntur, mox tamen ceſſant.—Peſtis ipſa aeris mutatione a calido humidoque in frigidum & ſiccum plerumque cohibetur.—Sanguinis ſtatus ipſe a prægreſſa & præſente aeris conſtitutione multum dependet, atque contagium varios effectus in vario ſanguinis ſtatu præbuiſſe, experientia docuit.—Itaque aeris conſtitutionis præcedentis & præſentis juſta conſideratio non parum habet momenti in noſtra medendi methodo.

Cum aer continuo frigidus ſiccus fibras fortes valdeque elaſticas & ſanguinem denſum ac viſcidum efficiat; ægrotos tali in conſtitutione, cæ-

teris paribus, multo magis & melius ſanguinis perferre poſſe detractionem, quam in calida, humida, relaxante aeris temperie, quilibet ratione facile conſequi poteſt; eoſque magis diluente, emolliente atque antiphlogiſtico potu, diæta & remediis indigere: cum e contrario in hac multo magis cardiaca, ſubadſtringentia & antiputredinoſa requirantur.

Tempeſtate admodum frigida & ſicca, prouti quoque valde calida & arida homines variolis laborantes multo minus, quam aeris conſtitutione oppoſita exſpuere, res eſt certa; ita ut athmoſphæra valde ſicca omnia convenientia, ſanguinem diluentia & ſalivationem, huic morbo adeo neceſſariam & ſalutarem, promoventia adhibere debeamus remedia: — interim hæc quadam tempeſtate & quibuſdam in hominibus nimis profuſa & noxia eſt; inprimis, opinor, tempeſtate frigida, humida, relaxante & in hominibus morbis catarrhalibus obnoxiis. — Salivationem nonnunquam adeo præmature incipientem & adeo immoderate continuantem vidi, ut tandem communia, linguæ, oris & faucium integumenta abraderentur; quibus dolor efficiebatur admodum acutus, ſomnum & deglutitionem impediens atque ægrotum perpetuo excrucians. — Ideoque *ſalivationem præmaturam*, ſpeciatim profuſam valdeque acrem, ſemper deteſtor.

Quemadmodum alia aeris conſtitutio ſalivationem, quæ ſufficit, impedit, alia nimiam eamque acriorem excitat: ſic catharrhalis epidemicus affectus alio tempore tantum tenuem, mitem & inſipidum mucum; alio profuſum acrem nares, labia, fauces cæteraque corrodentem evacuat ichorem. — Talis atmoſphæræ conſtitutio, quæ ægro-

tos

tos ad nimiam ſalivationem proclives reddit, probabiliter quoque aliqua ex parte crudas illas, *cryſtallinas & indigeſtas variolas* excitare poterit, quæ ſæpiſſime nobis occurrunt. Humida enim, nebuloſa frigidaque tempeſtas non ſolum vim vaſorum contrahentem relaxat & ſanguinem vaporibus frigidis nitroſis replet; ſed præter ea etiam perſpirationem inſigniter impedit; unde acris ſeroſa colluvies accumulatur, & tali præcipue tempeſtate fieri ſolet, ut hæc variolarum dominetur ſpecies; prouti parva illa, verrucoſa, nigra ſpecies cum parca vel nulla ſalivatione ventis aquilonibus per longum temporis ſpatium flantibus, valde calida vel valde frigida ſiccaque tempeſtate admodum frequenter obſervatur.—Nonne nobis varii regiminis neceſſitatem in varia tempeſtate hæc demonſtrat obſervatio?

Variolæ hæ *cryſtallinæ* aut *lymphaticæ* nunquam bene matureſcunt, ſed materia manet cruda tandemque fit merus aqueus ichor, ac eæ plurimis in locis confluunt & admodum largas effingunt veſicas; quæ denique diſruptæ omnia corrodunt & totum ægrotum exulcerant, ita ut lepori corio privato appareat ſimilis.—Quoſdam in talem tabis ſpeciem intra viginti vel triginta dies incidiſſe vidi, humores acres exſudantes continuo ab illis deſtillabant, donec tandem duplici ſenſu diſſolverentur.—Cujus tenuis crudæque materiæ magna pars ſæpius iterum abſorpta ad ſanguinem perfertur & inſignem puſtularum flaccidarum, vacuarum vel *ſiliquoſarum*, ut dicitur, relinquit copiam. Quod terribiles in ſcenam producit morbos & tragœdiam iterum ludit, quæ plerumque mortifera finitur cataſtrophe;

rigo-

rigores convulſivi, febres peripneumonicæ, delirium, dyſenteria, ſyncope cæteraque ſunt communes pediſſequæ. — Nihilo minus, ſi diarrhœa moderata aut urina copioſa profundius tincta ſubſidente ea aufertur, ægrotus ſæpius convaleſcit; quod ſi vero dejectiones alvi nigræ, cruentæ aut ſanioſæ accedunt, eæ generatim inteſtinorum deſtructionem indicant, ſi in primis abdomen eſt tumidum, dolens & tenſum. — Atque micturitio aut perpetuus urinam emittendi conatus ſine aliqua ejus inſigni evacuatione, niſi a veſicatoriis ortum trahat, ſymptoma eſt peſſimum. — Si quando largus ſudor unquam in variolis eſt ſalutaris, is in hac eſt ſpecie; atque me eum variis temporibus maxime inveniſſe utilem, exiſtimo.

In his *crudis*, *ichoroſis* & *coctione difficilibus variolis* & *profuſo ptyaliſmo*, ubi cutis puſtulæque pallidæ vel luridæ, pulſus debilis, urina tenuis, aquea & cruda ſunt, calidiora medicamenta requiruntur: qualia ſunt *pulvis contrayerv. comp. myrrha*, *moſchus crocus*, *camphora*, *theriaca*, *mithridatium*, *confectio cardiaca*. Quæ in puſtulis elevandis & materia concoquenda admodum ſunt ſalutaria & cum ſero lactis cum vino canarienſi parato, *decocto rubicundo*, julapio teſtaceo, aut *cyatho potus caffee*, cui interdum parum lactis tenuis affundendum, deglutiri poſſunt; quem potum caffee per totum variolarum decurſum plures hauſiſſe ægrotos ſine ullo malo, immo cum exoptato effectu cognovi; cum is evidenter irritantem vexantemque tuſſim, acri iſta tenuique deſtillatione (rheum) excitatam, tompeſcat.

Igitur hic procul dubio opiata ſollicite indicantur, & *theriaca*, *elixirium paregoricum*, vel *tinctura the-*

thebaica cum *diacodio* ſæpius, aſt tali doſi ſunt danda, quæ ægrotum quietum, haud vero ſtupidum reddit; quæ profecto opiata exhibendi omnibus in febribus methodus eſt tutiſſima & quoque efficaciſſima: licet enim unica doſis largior mox magis ſomnum inducere poſſit, multo tamen minus reficit; at, ſi hoc non efficit, delirium fere ſemper ſubſequitur aut diuturnus continuus ſtupor. — Quolibet in caſu largæ ejus doſes magnam relaxationem & univerſalem efficiunt debilitatem, quas nihil quam nova poſt aliquod temporis ſpatium doſis aut calidum cardiacum levat: effectu cum *liquoribus* conveniunt *ſpirituoſis*, qui temporarium furorem aut ſtuporem excitantes debilitate univerſali, tremore & maxima ſpirituum dejectione finiuntur. — Siquidem nemo prædicere poteſt, qualem peculiaris opii doſis in peculiari homine edet effectum, donec illa uſus ſit: aliis adeo peculiaris eſt conſtitutio, ut parva admodum doſi inſigniter afficiantur; alii e contrario ſimili fere robore & conſtitutione prædĭti quadruplam quantitatem multo minore cum effectu ſumunt. — Aliis convenit *diacodium*, qui *opium* perferre nequeunt; ita ut prudentis medici ſit, moderata ad minimum vel parva opii doſi incipere.

Nihilo tamen minus, miſſa hac cautela, nulla dantur remedia, quæ tam efficaciter humores tenues acres inſpiſſent, eorum irritationem & defluxum avertant & puſtulas maturent, quam opiata convenienti ratione data. — Profecto, quando copioſæ adſunt puſtulæ, ſine eis parum efficere valemus, in primis verſus morbi ſtatum, ubi iſtæ valde dolent. — At enim vero tunc quoque, quando ſalivatio inſigniter viſcida & difficilis eſt, nos iſtis admodum caute uti atque *gummi ammoniacum*,

oxy-

oxymel ſquilliticum cæteraque cum eis conjungere debemus.

Neque in his lymphaticis aut cryſtallinis puſtulis veſicatoriis eſt parcendum, quæ præter alios bonos effectus, acribus humoribus exitum parant morboſis; eandemque ob rationem latas puſtulas, quæ ab earum confluxu oriuntur, lanceola aperire oportet. — Pus cum acu aurea emittere, ut AVICENNA(*) auctor eſt, magis juvat quam prodeſt. Peragas vero hoc quacunque ratione velis, fœdior cicatrix tunc efficitur, ſi naturæ permittitur: hic autem periculum plus, quam hæc valet conſideratio; nam materia iſta corrodens interdum omnia corrumpit & præter id aliquid ſemper ab ea abſorptum in ſanguinem perfertur.

Itaque ego, ut cum medicamentis alexipharmacis propria quædam diuretica, qualia ſunt *nitrum*, *ſal ſuccini*, ſpiritus nitri dulcis, & ſimilia conjungantur, ſuaſerim. Nam largum urinæ effluxum aliarum evacuationum defectum feliciſſime compenſaviſſe, obſervavi: &, ſi hoc incidit, quando ſalivatio ceſſat atque os ſubſidet, ſemper eſt ſalutare: & cum hæc ita occurrant, tantum, quantum fieri poteſt, promoveri debent: &, ut urinam ſæpius emittat, admonendus eſt ægrotus, qua in re multum juvat, ſi is in genua erigitur. Dum enim in lectulo recumbit, ſæpius ipſi neque ſtimulus neque vires eam emittendi ſunt; quam tamen, ut primum erectus eſt, larga quantitate reddit.

Materia tenuis, acris, varioloſa ad inteſtina & ſæpius quidem valde violenta ratione trans-

(*) Vid. Canon. medic. Lib. IV. Cap. de Variolis p. 66. Edit. PLEMPII.

transferri creberrime ſolet. — Innumera in variolis proſtant exempla, ubi ægroti vitam critica quædam ſervavit diarrhœa; natura ipſa quoque in infantibus hanc evacuationem in locum ſalivationis ſubſtituit in adultis. — Itaque, ne eam præmature nimis unquam cohibeamus, eſſe debemus ſolliciti, & tunc quoque quando profuſa eſt; id non prius tentandum eſt, quam unam vel alteram rhabarbari doſin præmiſerimus; & tunc ſane convenientibus adſtringentibus opiatis, *decoct. rubicund. decoct. Fracaſtorii*, *tinct. roſar.* cæteriſque uti debemus; & quando quoque omnia iſta fruſtra adhibita fuerint, clyſma cum *diaſcordio* vel *theriaca* nimium coercebit fluxum. In genere vero eam tantum in earum præcipue ſtatu aut poſt eum moderari debemus, nihilo ſecius cura habenda eſt, ut ægroto, fluxu durante, convenienti roborante, ſubadſtringente diæta ſuccurramus.

In variolis crudis, cryſtallinis neque acida mineralia neque vegetabilia unquam magnam attuliſſe utilitatem obſervavi, in *parvis* vero, *nigris*, *confluentibus cum petechiis conjunctis* valde inveni ſalutaria; in quibus humorum putredo in genere multo major eſſe videtur, & puſtularum quoque pus ſaniei ſimile multo magis fœtet, quam in *cryſtallinis*, quarum ichor interdum parvum vel prorſus nullum ſpargit fœtorem. — Quamquam fortaſſe ex quatuor ægrotis hac parvarum, nigrarum, confluentium variolarum ſpecie laborantibus vix unus (&, quando maculas nigras, urinam cruentam & alias hæmorrhagias habent conjunctas, ex millibus vix unus) convaleſcit, interdum tamen, quando petechiæ copioſæ & variolæ admodum nigræ, parvæ & confluentes,

immo

immo interdum cum aliqua hæmorrhagia fuerunt conjunctæ, acidis mineralibus, alexipharmacis adſtringentibus & medicamentis ex cortice peruviano paratis res geſtæ ſunt maximæ. — Quædam, ubi tali rerum ratione ſanitas hac methodo fuit reſtituta, mihi nota ſunt exempla; ſed ne unum quidem morbum unquam ſupervixiſſe, inveni, qui urinam emittebat cruentam, niſi, eam ab uſu cantharidum proveniſſe, manifeſtum erat. — Cum autem hæc variolarum ſpecies diu duret & ægrotus (ſi iſtam tandem ſuperat,) per aliquot dies intra limites quaſi vitæ & mortis contineatur; ſupra propoſita medicamenta non ſolum neceſſaria ſunt, ſed ipſi quoque largiore & conveniente *analeptico* & *antiſeptico* potu & diæta in ultimo in primis ſtadio eſt ſuccurrendum; donec tandem ut ſerpens, emblema recuperatæ ſalutis, exuvias nigras relinquens in novam vitam & vigorem proſerpat: atque ego ſane quoſdam vidi caſus, qui magis reſurrectioni quam valetudinis recuperationi videbantur eſſe ſimiles.

Quando ego uſum corticis peruviani in quibuſdam variolarum ſpeciebus ſuadeo, eum experientia & auctoritate edoctus commendo, cui vero hæc non faciunt ſatis, hac de re conſulat virum magnum *Dr.* MEAD (*), Prof. MONRO (**), & *Dr.* WALL. (***) — Ego quidem plerumque cum *tinctura corticis alexipharmaca*, ſupra propoſita, bene acidulata cum vitrioli elixirio initium facio; & poſtea ad ejus decoctum aut extractum progredior. — Sed ſerio admonere mihi ſit licitum,

(*) De variolis & morbillis, p. 45.
(**) Medical Eſſays, Vol. V. p. 102.
(***) Philoſophical Tranſactions, No. 486.

tum, ne aliquid horum detur, quando ſpirandi difficultas, alvus obſtipata atque abdomen durum & tumidum eſt, donec ad minimum hæc remota fuerint ſymptomata.—Tincturam corticis alexipharmacam in variolis ſpeciatim lymphaticis utilem eſſe, his addendum eſt, eaque mox poſt plenariam eruptionem dari debet, ut tantum, quantum fieri poteſt, aliquis maturationis gradus promoveatur: corticem in ſanioſis ulceribus plerumque aliquam laudabilem puris coctionem efficere, certa res eſt.—MORTONUS (*) non in declinatione ſolum, ſed & ipſa variolarum maturatione durante, ſi quando remiſſionem deprehendebat & quidem tertia aut quarta hora ad drachmæ quantitatem corticem exhibebat; atque hoc a variis aliis eximiis medicis ante plures annos fuiſſe exercitatum, compertum habeo.

Sed hujus morbi maxima difficultas & periculum præcipue in ſtatu aut mutatione variolarum oritur (quæ in aliis ſpeciebus citius, in aliis tardius incidit, quo benigniores variolæ, eo ſemper citius); nam licet omnia uſque ad hoc tempus bene proceſſerint, nunc (ſeptimum puta, nonum aut undecimum ab eruptione diem) mutatione miranda & terribilibus ſymptomatibus obſtupeſcimus. Oris tumor uno impetu collabaſcit, ſalivatio ſubito ceſſat, puſtulæ fiunt flaccidæ, interſtitia lurido & cinereo colore palleſcunt; rigor exoritur, febris cum magna ſpirandi difficultate, languore & ægritudine ſuccedit; perpetua anxietas, tremor, ſubſultus tendinum, animi deliquium cæteraque ſubito ſequuntur.—Talis expectanda eſt mutatio, quando puſtulæ admo-

(*) De variolis Cap. IX, p. 250.

admodum copioſæ primo, ſecundo vel tertio morbi die erumpunt; quando poſt plenariam eruptionem non bene repletæ, rotundæ & juſte acuminatæ ſunt, ſed planæ & latæ fiunt, aut in medio foveam vel maculam nigram gerunt; quando eas baſis rubicunda haud circumdat & hæc livida vel obſcurioris coloris apparet: — quando præter ea urina continuat aut pallida, cruda & tenuis fit, & *arteriæ carotides* ac *temporales* magis tremunt, non parum imminet periculi. — Itaque his in rebus ſingulari prorſus ratione ægrotum ſumma cum diligentia attendere debet medicus; nam res de vita & morte paucis horis agitur: — atque, licet in morbo, qui tanta ſymptomatum varietate, ut variolæ, eſt obnoxius, vix ulla certa definiri poſſit norma; monita tamen ſequentia fortaſſe non prorſus erunt inutilia.

Primo, quando manuum tumor non conſueta ratione oris tumorem excipit, & pedum tumor iſtum manuum, hoc recte malum putatur ſymptoma; nam hæc eſt ordinata & critica humorum morboſorum ad has partes translatio, quæ plerumque accidit, quando ſalivatio imminuitur & os ſubſidet. Ego ubi harum rerum ratio urget, epiſpaſtica *metacarpo* & *pedum condilis* paulo ante applicare ſuaſerim, quam tumoris ipſius ad has partes acceſſum expectamus; hæc enim non ſolum humores ad eas certius attrahunt, ſed eis quoque exitum parant; atque cataplaſmatum emollientium vel fotuum applicationem ad has partes aliquando veſicatoria præcedere debere, exiſtimo, cum ea criticos hos humores alliciant. — BALGIVIUS (*) ait, ſe ſpongias decocto emollienti

(*) Vid. Opera Lugduni 1710. capit. de variolis & morbillis p. 61.

ti imbutas magno cum ſucceſſu applicaſſe. — Interdum profecto natura proprio inſtinctu materiam morboſam tanta cum vehementia ad partes corporis extremas propellit, ut inflammationem inſignem, tumorem & dolorem excitet acutiſſimum; quę nihil tam efficaciter levat, quam fomenta emollientia, partes relaxando & poros aperiendo.

Methodi antecedentis ante viginti circiter annos(*) auctor ſuaſorque fui, & ab eo tempore ea in exemplis innumeris maxima uſus ſum cum utilitate. — Tumorum criticorum præmaturum receſſum ſemper periculoſi ſequuntur effectus, ut conſueta quoque comprobat podagra; ita ut haud raro eam cataplaſmatibus acribus fixam reddere cogamur. — In caſu præcedente veſicatoria non materiam morboſam ſolum attrahunt, ſed quoque eliminant. Sæpius *cataplaſmatibus* addo *cantharides*; & noſtris temporibus quoſdam eximios medicos in caſibus periculoſis veſicatoria plantis pedum applicare, reperio.

Secundo: quando æſtus, capitis dolor, nauſea & pondus ventriculi, magna irrequies aut ſtupor circa ſextum aut octavum eruptionis diem oriuntur, alvo obſtipata, clyſma vulgare ex lacte ſaccharo & ſale applicatum raro prompti auxilii ſpem fallit; atque hoc in primis requiritur, quando frequentius, fruſtra tamen alvum deponere cogitur æger. Excrementa enim calore longaque retentione indurata in colon & rectum intruduntur; ubi inferior aortæ pars, vaſa iliaca veſicæque collum compreſſa liberiorem ſanguinis deſcenſum ad partes inferiores impediunt, unde caput & pectus eo obruuntur: porro iis ſupprimitur

(*) Vid. Opera Lugduni 1710. capit. de variolis & morbillis p. 61.

mitur urina, neque flatus neque fœces, neque aqua prius evacuari poſſunt, quam excrementa indurata mollita, & inteſtina relaxata, lubricata, atque ad eorum munus conveniente clyſmate fuerint irritata. — Equidem raro, ut ægroti mei, ſpeciatim homines juniores, inſignem in modum alvo obſtipentur, permitto; in genere enim, ut clyſma emolliens, ſi neceſſarium, quolibet altero, tertio aut quarto die ab ipſo initio injiciatur, jubeo, donec ad uſum lenis purgantis accedam; quæ ægrotum magis frigidum conſervando uſum anodynorum ſalubriorem & efficaciorem reddunt: ſæpius enim hæc parvum vel nullum antea edunt effectum, quam abdomen fuit purgatum vel ad coma pronum reddunt ægrotum.

Tertio: Nihilo minus anodyna fere ſemper conveniunt, immo neceſſaria ſunt in variolis, ſpeciatim in criſi aut verſus eam; quæ, ſi quoque nihil aliud, quam doloris ab inflammatione in cute & puſtulis excitati mitigationem efficerent, requiruntur: nam cum una puſtula tanta afferat incommoda, quanta decem efficient millia? Interim dolor & ægritudo, de quibus conqueruntur ægri, in genere bonum eſt ſymptoma: Id certe peſſimum eſt, ſi neque cutis neque puſtulæ inflammantur aut dolent: hoc enim magnam virium vitæ inopiam, circulationis juſtæ in vaſculis extremis capillaribus defectum & univerſalem torporem prodit. — Porro his addere mihi ſit licitum, verſus ſtatum in primis opiata eaque largiori doſi mox ante noctem, quam exacerbatio accedit, eſſe danda & neceſſitate exigente eſſe repetenda. — Diacodium hoc in caſu raro, niſi in infantibus ſufficit. — Anodynorum doſis ante noctem præcipue, qua criſin expectamus, ſemper augenda eſt

idque eam ob rationem, ut compeſcatur tumultus, qui plerumque nocte inſtante accedit; nam nox, ut HIPPOCRATES obſervavit(*), ante criſin in omnibus febribus gravis eſt. Quando febre & calore majore afficitur æger, opium cum aliquo *acido* aut *potione* ſalina dandum eſſe, bonum judico; quando vero debilis eſt & languet, cum theriaca aut quodam alexipharmaco.

Quarto: quod ſi febre ſecundaria appropinquante pulſus deprehenditur celer, durus & fortis, arteriæ carotides valde tremunt, calor exacerbatur, ſpirandi difficultas & dolor capitis acutus adeſt, phrenitis oritur vel major vel minor; ſine mora ſanguis eſt detrahendus, alias brevi tempore caſus erit irreparabilis. —Qua rerum in ratione ſanguinem emiſſum valde viſcidum & tanto corio, quanto in graviſſima pleuritide eſſe obtectum, notatu eſt dignum; hoc ab inflammatorio ſtatu inſigni, ab ophthalmia, angina, peripneumonia, rheumatiſmo, & quæ plerumque ſubſequitur, inflammatione externa pendere, ſatis eſt manifeſtum.

Quinto vero; ſi e contrario pulſus eſt debilis, ægrotus languet, puſtulæ & interſtitia pallida, rugoſa & flaccida ſunt, ac partes corporis extremæ frigidæ & viſcidæ occurrunt; vix nimis multa dari poſſunt calida medicamenta potus cæteraque, neque veſicatoria ſatis crebro applicari queunt: in tali rerum ratione ſatis largam vini calidi quantitatem miro cum ſucceſſu fuiſſe datam, vidi.

Sexto: circa ſtadii variolarum tertii finem ſalivatio plerumque magis minuitur & materia ſæpius adeo craſſa & glutinoſa fieri ſolet, ut maxima cum difficultate exſcreetur, &, niſi per convenientia

(*) Aphoriſm. 13. Sect. II.

tia gargariſmata, injectiones cæteraque abſtergâtur, omni fere temporis minuto minetur ſuffocationem. — Nulla gargariſmata hoc in caſu mihi nota ſunt meliora, quam quæ parantur ex *vino pomaceo & melle*, vel *vini aceto*, *aqua & melle*, vel *oxymelle ſquillitico* cum *pauco nitro* aut *ſale ammoniaco crudo*. Sinapi quoque cum utilitate in gargariſmatibus coqui poteſt, quando ſtimulans requiritur fortius. — Acida vegetabilia magis ſunt ſaponacea & abſtergunt, quam ſpiritus vitrioli, licet crebrius adhibeatur. — Interdum cuncta hæc minus ſunt efficacia, & nihil præter vomitorium actuale juvat; hoc in caſu SYDENHAMIUS vomitum cum vino benedicto ad ℥iß excitabat. — Proſtant multo mitiora, ſed æqualiter efficacia: immo oxymell ſquilliticum frequentius datum haud raro bene ſuccedit, cum moderatum moveat vomitum & tam exſcreationem, quam reſpirationem juvet. — Siquidem & hæc porro utilitate præſtat, ut urinam & alvum moveat, quæ ſæpius hoc morbi tempore deficiunt: ſed, ſi caſus urget, is decocto aut infuſo ipecacuanhæ eſt accelerandus. Variis temporibus non ſine modeſtia his uti auſus ſum, cum nihil, niſi ad hæc refugere, ſupereſſet, iſtiſque ægrotum evidenter ex mortis periculo eripui, licet id non ſine famæ meæ fieret periculo maximo: interdum vero profecto & æger & fama perierunt. — At enim vero nunquam non CELSI ſententiæ ſubſcribam, melius eſſe, ancipiti uti medicamento, quam nullo. — Haud raro quoque incidit, ut lingua & fauces craſſiore, adhærente, alba vel caſtanei coloris pellicula tectæ deprehendantur, ita ut ſemicoctæ videantur; atque œſophagus ac aſpera arteria illis ſint ſimilia: quæ neque vomitorio, neque gargariſmate neque ulla

alia re removeri poterit, cum, nullam in glandulis harum partium fieri ſecretionem, oſtendat.

Muci oris, faucium aliarumque partium tenacitas ſæpe a liberioris potus defectu per totum morbi decurſum pendet. — Cum tamen neceſſario requiratur, ut ſanguis diluatur, ſalivatio juvetur, puſtulæ repleantur, acria ſalia morboſa abſtergantur & vaſa magis ſalutaribus referciantur fluidis: alimenta ipſa hoc in morbo ſint, immo præcipue eſſe debent liquida; cum ſolida maxima ex parte neque ad palatum ſint, neque deglutiri poſſint. — In variolis nigris confluentibus bibendum aut moriendum eſt: — tenue acidulatum lactis ſerum, decoctum luſitan. avenæ decorticatæ aut aqua cum vino rhenano vel pauco vino gallico albo, vinum pomaceum & aqua aut ſimilia ſunt convenientiſſima; atque ſi vel petechiæ vel hæmorrhagiæ apparent, tinctura roſarum aut vinum rubrum clarificatum cum aqua bene acidulatum præſtant.

Septimo autem: quodſi incruſtatio perfecta eſt, & ſalivatio imminuitur, ut aliam quandam evacuationem promoveamus, curam habere debemus; nunc enim nihil per habitum externum expellitur, parum vel nihil nunc per incruſtatam, ſquamoſam cutim transſpirat, quæ corpus ut lorica, aut potius ob ejus effectum, ut induſium HERCULIS venenatum circumdat: nam his non perſpiratio ſolum valde impeditur, ſed & pus ac ſanies limitibus ſuis coercetur, quæ de hora in horam magis magiſque putreſcunt & continuo reſorpta atque ad ſanguinem delata motum excitant & febrim ſecundariam augent.

Quod ſi ſalivationem ſuſtinere & juſtum urinæ bene coctæ effluxum hac in periodo promovere

vere valemus, res ſatis tolerabiliter procedunt; haud raro vero utrumque ſubito deficit, & maximo in periculo verſatur æger. — Qua in re has evacuationes renovandi cura habenda eſt maxima; plura mox applicanda ſunt veſicatoria & clyſma emolliens atque relaxans injiciendum: pari modo mixturis exſcreationem juvantibus, ex oxymelle ſquillitico, gummi ammoniaco cæterisque paratis, frequentius uti debemus.

Porro quoque non parum prodeſt, ſi hoc morbi tempore ægroti mutantur linteamina, quæ nunc impuriſſima, rigidiora & fœtida facta, ipſi ægroto maxime ſunt moleſta: — Siquidem ea aerem conclavis magis polluunt, & adeo ineptum ad reſpirationem reddunt, ut iſtum quoque vix homo perferre poſſit ſaniſſimus: quid? quod is non reſpirationem ſolum accelerat, ſed ipſa quoque hujus venenatæ mephitis miaſmata continuo iterum per vaſa inhalantia, pulmones cæteraque ad ſanguinem deveniunt, eumque magis corrumpunt. Quantum ægroti aeris conclavium mutatione, fores & feneſtras prudenti ratione aperiendo & linteamina fœtida mutando reficiantur, mirum ſane eſt viſu: — novam vivunt vitam, ut ipſi verbis exprimunt; aer enim liberior eſt vitæ cibus. — Aerem talem putridum limitibus, ægrotumque in eis coercere, certiſſime eſt peſtiferum. — Abſurda methodus, qua noſocomii genus in aliquo domus conclavi efficitur, quod duobus, tribus vel pluribus ægrotis repletur, curationis ratio eſt peſſima, illudque manifeſte fuiſſe mortiferum, ſæpius cognovi: — alterius fœtor, ſuſpiria & clamor diſturbant & offendunt alterum; raro fieri ſolet, ut omnes ſimul obdormiſcant, ſed ſæpiſſime ita in vigiliis retinentur; vivere cum malis ejuſmodi

contubernalibus, vita eſt peſſima. — Quicquid autem opponitur, nullum ex commutandis ægrotis enaſcitur periculum; ſi cura habetur, ut hoc ſedulo in bene calefactis & ſiccis linteaminibus fiat; aſt ridicula eſt opinio, qua induſia virorum fœminarumque antea per duodecim vel viginti quatuor horas aliis hominibus calefiunt, quam eis ægroti induantur. — Nonne ea ſine eo calida & ſicca reddi poſſunt? Nonne perſpiratio & ſudor ſaniſſimi quoque hominis ea humida & impura efficiet?

Sed de his hæc ſufficiant: ad evacuationis conſiderationem revertens huic capiti quibuſdam obſervationibus de purgatione in febre variolarum ſecundaria finem imponam.

Quod ſi ſalivatio rite procedit, puſtulæ elevatæ bene matureſcunt, oris, manuum & pedum tumor juſto tempore accedit, ægroti quiete dormiunt & ſpiritum libere trahunt, omnia ſunt ſalva; ac natura ſuum opus perficere ſatis valet, eaque conveniente ratione juvanda, non vero diſturbanda eſt. — Ego quoque tunc clyſmatibus abſtineo, licet ægroto per quoſdam dies alvus ſit obſtipata, donec tandem incruſtatio perfecta eſt; & tunc ea conveniunt, ut viam præparent purgantibus ſequentibus, quæ tunc procul dubio ſunt neceſſaria.

Sæpius autem, immo fere ſemper in cohærentibus & confluentibus variolis fieri ſolet, ut in hac periodo aut ante eam major vel minor febris ſecundaria, eaque partim a materiæ ex internis & externis puſtulis reſorptione, partim a ſuppreſſa perſpiratione, & partim a putrida canalis inteſtinorum colluvie oriatur: quæ ſane inſignis ſit neceſſe eſt, cum procul dubio materiæ morboſæ oris, fau-

cium cæteriſque glandulis ſecretæ pars deglutiatur & multo major inteſtinorum, ductus biliarii cæteriſque glandulis ſecerni debeat copia, quæ in inteſtinis colligitur: nam cum multo minus, quam conſueto modo fieri ſolet, per cutim tranſeat, eo major humorum quantitas ad inteſtina pervenire debet: ſiquidem ſatis cognitum eſt axioma, quod, quo magis altera evacuatio imminuatur, eo magis altera augeatur, & ſic quoque, quod peculiaris quidam cutim inter & inteſtina ſit conſenſus: quibus omnibus pari ratione materia ex variolarum puſtulis in ventriculo & inteſtinis fortaſſe hærentium additur. — Ita ut magna materiæ valde putridæ copia primis viis ineſſe debeat, quæ magis magiſque vi ſua virulenta augetur, quo diutius ibidem hæret, & continuo iterum per vaſa inteſtinorum abſorbentia in ſanguinem perfertur & ſic igni oleum additur, quam natura per eandem viam aliqua ad minimum ex parte expellere molitur. — Itaque numne iſta ibidem relinquenda, an vero educenda eſt? In promptu eſt reſponſum. — Proprio plerumque inſtinctu hoc natura molitur maxima cum utilitate in adultis & ſemper fere in infantibus, quibus diarrhœa loco ſalivationis in adultis eſſe videtur. — Igitur nonne hoc ſatis indicat, quomodo tali rerum ratione ipſam juvare debeamus? Ac profecto, quam terribiliter fœtentes, putridas & copioſas hoc in morbo obſervamus dejectiones, poſt clyſmatis injectionem & in primis poſt purgantia in ipſo ſtatu aut declinatione data? Immo hæc corruptionis materies in inteſtinis hærens & de die in diem magis putreſcens tandem ita redditur acris, ut ea ipſa corrodat; ad minimum ea ita irritat, ut veram diarrhœam aut dyſenteriam excitet, quam qui-

dam;

dam, ne leni cathartico moveatur, adeo inepte timent.

Porro vero, quando natura neque proprio conatu, neque artis auxiliis humores morboſos a translatione ad partes magis vitales retinere valet, ſed ob infelicem ad illas translationem, ejus oneri ſuccumbere videtur; ut a ſubitaneo oris manuumque tumoris receſſu, præmatura ſalivationis ſuppreſſione aut ſimilibus fieri ſolet; nonne materiam lædentem per aliud emiſſarium, ſpeciatim per inteſtina removere, neceſſarium eſſe videtur, quæ multo facilius & certius quam cutis pori, viæ uriniferæ aut ductus ſalivales ad excretionem incitantur? — Re vera, ſi ſalivatio naturaliter ceſſat, mea ſententia convenire videtur, ut alia hujus loco promoveatur evacuatio: & ſi clyſmate vel leni purgante utimur, nimiam evacuationem opiato quodam facile cohibere poſſumus.

Cui curationis rationi objecerunt & objici poteſt, eam noxios humores ab externo corporis habitu ad vitales partes allicere. — Sed ad hæc reſpondeo, has purgationem præcipue magis defendere, ſi incruſtatio perfecta & materia morboſa concocta eſt, ad minimum tantum, quantum unquam fieri poteſt, (juſta enim coctio aut maturatio nunquam in lymphaticarum variolarum ſpecie eſt expectanda); eam in primis neceſſariam eſſe, quando infauſta materiæ morboſæ metaſtaſis jam acceſſit, & neque ſalutariter neque facile aliis removeri poteſt remediis; eam loco evacuationis criticæ ſuppreſſæ ſubſtitui, naturamque ipſam moliri, quid? quod requirere harum viarum evacuationem; nullam aliam, quam hanc inveniri methodum,

putri-

putridam inteſtinorum eliminandi colluviem, quæ febrim alit ſecundariam; atque ubicunque magna impuræ corruptæque materiæ adeſt quantitas in primis viis, febrim ſequi, quod verminoſæ, bilioſæ febres teſtantur, quibus nulla ratione quam purgando aut vomendo mederi poſſumus; quemlibet tandem neceſſitatem in fine variolarum purgandi concedere; alias abſceſſus, induratas glandulas, impura ulcera, oſſa carioſa, pulmones corroſos vel febrim hecticam depaſcentem certiſſime ſuccedere.

Cum vero purgantia in febre variolarum ſecundaria commendem; ego quidem ſemper, ut leniſſima refrigerantia ſub initio dentur, ſuadere velim: *draſtica* purgantia, *ſcammoniata*, *aloetica* certiſſime minus conveniunt, antequam febris fere tota ceſſat; tunc profecto quædam fortiora purgantia (quibus ſemper aliquid ex calomelano addo) ſunt adhibenda. Fortiorum purgantium in principio uſum imprudentem, poſt purgantia conveniens anodynum haud dare, neque operatione durante ægroto juſtis auxiliis ſuccurrere, ſæpius peſſimos edidiſſe effectus, perſuaſum habeo; alvum vero ea ratione, quam propoſui, in febre ſecundaria purgare, admodum eſſe ſalutare, pro certo habeo, ejuſque exoptati ſucceſſus plura vidi exempla.

DISSER-

DISSERTATIO DE PLEURITIDE ET PERIPNEUMONIA.

CAPUT I.

De ventorum tempeſtatumque vi hos morbos progignendi.

CUM pleuritides atque peripneumoniæ adeo conſuetæ ſint, & ſemper fuerint, de illis latius quam de ullo alio morbo acuto egit HIPPOCRATES; cujus obſervationes deprehenduntur accuratiſſimæ & accommodatiſſimæ, atque, ut ab omnibus medicis diligentius perlegantur, maxime ſunt dignæ. — Quarum quædam eſt, frigidum ventum aquilonem excitare pectoris, coſtarum & pulmonum morbos; (*) atque hoc verum & conſtans omnibus ejus ſucceſſoribus fuit compertum. — Non quod nullæ pleuritides & peripneumoniæ aliis aeris conſtitutionibus ſæpius obſerventur, cum hæc haud raro aliis febribus acutis ſuperveniant: id tamen certum eſt, hos binos morbos multo occurrere frequentiores, ſi ſicca frigidaque tempeſtas & venti aquilones & ſubſolani per inſigne temporis ſpatium continuaverunt.

Ventorum frigidorum ſiccorum ſatis patentes in corpus humanum effectus in eo conſiſtunt, ut ejus totum externum habitum conſtringant, cutim

(*) Aphoriſm. 5. Sect. II.

tim magis exſiccent & corrugent, poros occludant & perſpirationem imminuant, vel ad minimum tantum permittant, ut pars humorum evaporet tenuior. Itaque frigore ſicco totum fibrarum ſyſtema magis firmum, forte & elaſticum, & vis vaſorum contenta ſluida propellendi magis redditur robuſta, unde circulatio vividior, æſtus major, ſpiritus & agilitas; quibus ſanguinis globulis magis condenſantur, compinguntur & numero augentur, totaque humorum maſſa ad majorem tenacitatis gradum efficitur proclivior. — Quibus addi poteſt, aerem frigidum ſiccum, qui ſemper fere gravior & magis elaſticus eſt, majori preſſione in corpus humanum cum ejus frigida & ſicca qualitate in progignendis majoribus effectibus cooperari. — Sanguinem, cæteris paribus, durante tali atmoſphæræ conſtitutione conſtanter denſiorem & viſcidiorem, quam diuturniore humida calidaque tempeſtate occurrere, facta probant; — atque homines aſthmaticis morbis affectos durantibus ventis aquilonalibus plura perferre, patet omnibus.

Nihilo minus omnes hi effectus cum perfectiſſima ſanitate convenire poſſunt & plerumque conveniunt; indeque CELSUS (*) (licet morbos frigido aquilone excitatos referat) *ſanum tamen*, ait, *corpus ſpiſſat & mobilius & expeditius reddit*.

Aſt proh dolor! adeo fragilis eſt mortalium conditio, ut ſummę ſanitatis ad graviſſimos morbos ſit tranſitus facillimus admodumque conſuetus: nam ſanguis iſte ruber, ſpiſſus, denſus fortibus vegetiſque vaſis agitatus facillime in tantum viſciditatis gradum mutatur, ut minus aptus reddatur ad tranſgreſſum per ultimos arteriarum ramos: unde obſtru-

(*) Lib. II. Cap. I.

obſtructiones indeque haud difficulter inflammationes; idque in primis ab aliquo diætæ vel exercitii vitio, a ſuppreſſa perſpiratione, vel ſubitanea quadam aeris temperiei oriuntur commutatione, quæ humores in genere multo citius rarefacere, quam vaſa quædam peculiaria relaxare poteſt. — Inde, quod in tranſitu ſit dictum, dolores membrorum olim fractorum, cicatricum vetuſtorum vulnerum, calloſarum concretionum in pedum digitis cæteriſque (ubi vaſa minora capacitate imminuta tunicis reddita ſunt rigidiora) ſubitanea tempeſtatis mutatione in procelloſam, humidam, & calidam ſævire, obſervatum eſt, quos nihil citius removet, quam fomentum emolliens, quo vaſa diſtenduntur & relaxantur: — Quælibet vetula clavos dolentes fomento abluere ſuadebit. — Atquæ hæc methodus quoque admodum eſt ſalutaris in laterum dolore, qui ſæpius poſt pleuritidem vel peripneumoniam per plures annos remanet & a præternaturali vaſorum coarctatione morbi prægreſſi, & pulmonum ad pleuram adhæſione pendet: qui quoque interdum ob inſignem ſanguinis rarefactionem, tempeſtatis variationem, cæteraque morbum denuo affert, atque ægrotum ab eo tempore frequentioribus recidivis ſemper reddit obnoxium.

Omnes quidem homines, ſanguine viſcidiore & fibris rigidis præditos, omnibus morborum inflammatoriorum generibus quacunque in tempeſtate eſſe obnoxios, pro certo habemus; nihilo tamen ſecius aliæ aeris conſtitutiones aliis non ſolum magis ſunt aptæ ad hunc ſanguinem inflammatorium progignendum, ſed & partes peculiares ad inflammationes magis pronas reddunt. Quod ſi enim aer valde frigidus habi-

tum

tum externum conſtringit, cutim corrugat & poros claudit, ſanguinis copia conſueta major in partes internas magis vitales, ſpeciatim in pulmones impellitur, qui lata internæ ſuperficiei (iſtam totius cutis multum ſuperantis) expanſione præditi, a natura dati ſunt, ut cuti in ſanguinis humoribus ſuperfluis, acribus & vapidis exhalandis ſuccurrat; ideoque poris cutis quodam modo occluſis, cutaneæ exeretionis defectum compenſare debet pulmonum exhalatio. — Atque re ipſa deprehendimus, pulmones mox a refrigerio, majore vel minore tuſſi, larga tenuioris materiæ defluentis excretione & quidem haud raro ſeveriorem in modum affici. — Quod ſi vero aer frigidus pari ratione continuo ad pulmones accedit, internam ejus membranam corrugat, ductus excretorios claudit, & ita nimii a perſpiratione collecti ponderis exhalationem & exſpirationem, ut ita loquar, impedit. — Quibus addi poteſt, aerem majore ejus frigoris gradu & propiore ad ſanguinem in pulmonum veſiculis & cellulis acceſſu, eum congelare, ad minimum inſigniter condenſare poſſe: aerem ſumme frigidum perfectam ac ſubitaneam ſanguinis ſtagnationem effeciſſe in pulmonibus & fere uno impetu necaſſe, varia proſtant exempla. Ventos admodum frigidos manuum, brachiorum atque oris cutim ita afficere & contrahere, ut aſpera, fiſſa & dolens reddatur, ſæpius occurrit; cur eum pari modo teneriorem delicatioremque aſperæ arteriæ, bronchiarum, cæterorumque membranam afficere, negemus? Tuſſis profecto, raucitas & ægritudo, quas in ejuſmodi frigidæ atmoſphæræ inſpiratione perſentiſcimus, hoc re vera ita fieri, oſtendunt. Haud raro pharynx atque

atque larynx ſævis frigidis ventis ita affligun- tur, ut violentas inflammationes, tumores cæteraque ſuſtinere debeant.

Itaque haud difficile eſt intellectu, ubi quantitas conſueta major ſanguinis denſi viſcidique in pulmones impellitur & quando vaſa pulmonum ipſa inordinate conſtringuntur, ductuſque excretorii ac orificia glandularum, aſperæ arteriæ, bronchiorum cæteraque inſigniter obſtruuntur, inflammationes peripneumonicas facilius generari debere.

Porro vero ſanguis valde viſcidus, naturalis diuturnioris, ſiccæ, frigidæ conſtitutionis aeris effectus, non ſolum ad inflammationes in genere & ſpeciatim ad morbos peripneumonicos, ſed quoque ad pleuriticos corpora reddit prona. Cum enim arteriæ, in partibus membranaceis diſperſæ, valde ſint tenues; inde naturaliter ſanguine denſo viſcido facillime obſtrui poſſunt: indeque tali tempeſtate rheumatiſmi admodum ſunt conſueti, cum partes muſculorum membranaceæ a viſcido lentore inflammentur. — Pleura vero eſt membrana admodum late expanſa & infinito tenuiſſimarum arteriarum numero ac ramis obſita intercoſtalibus, qui, cum fere angulis rectis ex aorta oriantur, hac ratione eo magis viſcidam ſuſcipiunt ſanguinis partem, ut leviorem, (cum gravior ab axe magnæ arteriæ propius tranſcurrat) indeque obſtructionibus ab inflammatorio lentore inſigniter ſunt obnoxii: atque pari ratione res ſe habent in muſculis intercoſtalibus & coſtarum perioſteo: quæ ſanguinem aliqua ex parte ad minimum a ſimili arteriarum diſtributione accipiunt.

Hinc non minus pleuritides, quam peripneu-

moniæ

moniæ quam maxime frequentes aut epidemicæ frigida ſiccaque tempeſtate inveniuntur; & in montuoſis frigidis regionibus aquiloni magis expoſitis, plerumque ſunt endemicæ. Morbi profecto pleuritici, proprie ſic dicti, apti ſunt ad peripneumonicos excitandos, & quoque ſæpiſſime excitant, idque illas ob rationes, de quibus infra ſum diſputaturus. — Hinc fieri ſolet, ut plures pleuritides cum ſymptomatibus peripneumonicis conjunctæ, quam veræ eæque exquiſitæ pleuritides nobis occurrant: atque morbum hunc complicatum proprio nomine *pleuropneumoniam* appellant recentiores.

Cum bini hi morbi adeo crebro conjuncti deprehendantur, non minus veteres, quam recentiorum plurimi eos omnino confuderunt, utriſque indiſcriminatim una eademque adſcribentes ſymptomata; profecto autem tam ſede quam ſymptomatibus bini hi vere differunt morbi. — Veteres ſane, ut CÆLIUS AURELIANUS refert, (*) opinionibus varias in partes trahebantur, ſiquidem ſedem pleuritidis alii affirmabant eſſe affectum vel perpeſſionem pleuræ, proprie ſic dictæ, alii pulmonum eorumque membranarum: quarum opinionum cujuslibet inter recentiores quoque exſtiterunt defenſores. — Igitur ſpero, fore, ut ſequentia monita eorum naturam methodumque eis medendi clarius exponant.

(*) Lib. II. Cap. XVI.

CAPUT II.

De peripneumonia & pleuroperipneumonia.

PEripneumonia latiſſimo verbi ſignificatu eſt morbus vel origine proprius, vel ex aliis ortus & adeo conſuetus, ut ejus naturam quilibet diligenter diſquirere debeat medicus; cum is præcipui cujuſdam vitæ organi ſit affectus morboſus, ſæpiſſime maximum comitetur vitæ periculum, & variam pro variis ejus ſtudiis requirat tractationem. — Siquidem hujus morbi valde differentes occurrunt gradus, vel potius ſpecies dicendæ, quæ ſingularem attentionem & peculiarem cuilibet accommodatam poſtulant medendi methodum.

Peripneumonia enim orta a violenta pulmonum inflammatione, a ſanguine valde viſcido denſo pulmonum bronchiorumque arterias plurimas obſtruente excitata, eſt morbus prorſus differens & admodum differentem ab ea requirit tractationem, ubi pulmones a lenta, viſcida, pituitoſa obſtruuntur materia; ut in eo caſu, quem recentiores peripneumoniam notham nuncupant ſcriptores, fieri ſolet. — Atque hæc iterum methodo ab illa prorſus diverſa tractari debet, quæ in iſta a tenuis acris materiæ defluxu ad pulmones dependente convenit. Nihilo minus quædam generalia ſymptomata omnibus his ſunt communia, ſpeciatim pectoris pondus, reſpiratio brevis & difficilis, tuſſis, & major vel minor febris: quæ pauca ſymptomata nobis obvenientia generali qui-

dem

dem vocabulo appellantur peripneumonia, licet natura ſua admodum differant & diverſe tractari debeant. — In *primo* enim *caſu* matura; larga & repetita ſanguinis emiſſio neceſſario requiritur; ut quantitas & impetus ſanguinis nimis rapidi imminuatur, cui fortiora refrigerantia, relaxantia; diluentia medicamenta & dieta addantur. — In *altero* ipſis in principiis quidem ſanguis detrahi poteſt; ut ulterior lentoris obſtruentis avertatur impactio & convenientibus incidentibus, diluentibus attenuantibus detur locus; quod ſi vero ad lanceolam nimis eris promptus, ægri, non morbi vires infringes, qui attenuantia, abſtergentia, expectorantia, lenia vomitoria & convenientia purgantia ac liberiorem veſicatoriorum uſum requirit; quæ ego in priori caſu omnino noxia eſſe; exiſtimo, niſi verſus morbi finem, ubi illa nonnunquam ſunt neceſſaria. — Sanguinis quoque emiſſionem poſtulat *tertius caſus*, ut inflammationis cohibeatur progreſſus; hic autem humida, lubricans ac demulcens methodus, cum quibuſdam propriis & frequentibus opiatis doſi moderata datis, exigitur, quæ in *altero caſu* prorſus eſſent deleteria.

Ita quoque in una eademque peripneumoniæ ſpecie variorum ſtadiorum variorumque ſymptomatum conjunctorum magna habenda eſt ratio. Licet enim in principio ſeveræ cujuſdam pulmonum inflammationis larga, repetitaque ſanguinis emiſſio quam maxime ſit neceſſaria; ſi tamen poſt alteram vel tertiam ſanguinis detractionem bene coctam ac ſanguine tinctam materiam exſcreat, a continuata hujus generis evacuatione deſiſtendum eſt, alias abſque neceſſitate debilitatur ægrotus & ſæpius in ejus detrimentum maxi-

mum omnino ſupprimitur exſcreatio.— At enim vero, ſi inſignis floridi ac ſpumantis ſanguinis copia exſcreatur; plus ſanguinis eſt detrahendum, tuſſis temperantibus opiatis, ut *diacodio* & ſimilibus compeſcenda atque *acida* convenientia cum leniter refrigerantibus incraſſantibus ſatis largiter ſunt danda: e contrario, quando tenuis glutinoſa, obſcuri coloris materia exſcreatur, hoc plerumque majoris malignitatis, ſanguiniſque in putrido diſſolvente ſtatu verſantis eſt ſignum, neque ulla ratione largam ejus permittit emiſſionem.— Breviter morbus hic omnino differt, quando inflammatio ingruit, quando materia obſtruens eſt concocta vel vere ſuppurat.

De hac vero re ſpecialius agendum eſt.— Quod ſi homo mox antea perfecte ſanus, poſt violentum motum, errorem diætæ, aut ſeverum refrigerium, magno afficiatur horrore, quem æſtus ardens, major pectoris oppreſſio & gravitas cum valde difficili, celeri & calida reſpiratione ac majore vel minore tuſſi excipit, mox ex late patente orificio ſatis larga quantitate detrahendus eſt ſanguis: quo fortior & ſanguine abundantior eſt homo, eo largior emittenda eſt quantitas, ita tamen, ut, ſi deliquium animi, ſudor frigidus in fronte aut ore, oſcitatio & ſimilia appareant, fluxus cohibeatur; quæ cuncta magna ex parte haud raro præcaventur, ſi homini ſupino detrahitur ſanguis.— In genere homines craſſi obeſi non tam bene, quam macri & muſculoſi ſanguinis perferunt emiſſionem, cum neque ſanguinis globulari parte rubra, neque tam elaſticis vaſis ſint præditi.— Porro ætas & hominis ſtatura ſunt perpendendæ; tantum ex nano, quantum ex gigante detrahere, abſurdum eſſet, licet uterque ſua natu-

natura ſit fortis; quo quis vel pueritia vel ſenectute propius abeſt, eo minus ad illam eſt aptus, licet nonnunquam in utriſque requiratur.

Ante febres corpora fieri graviora, indeque ſanguine magis abundare, obſervavit SANCTORIUS; atque *rigores* ſanguinis viſcidum, quod in extremis arteriarum capillarium finibus ſtagnat, oſtendunt: (ungues quoque, labia cæteraque cum palleant & liveant, idem arguere videntur,) & lentor hic increſcens naturaliter perſpirationem diminuet & humorum quantitatem augebit. — Quo major generatim in impetu eſt rigor & horror, eo violentior ſubſequitur febris; atque hoc aliqua ratione in ſanguine detrahendo nos inſtruit, cum poſt diu durantem & violentum rigorem, magnam febrim & viſcidiorem ſanguinis ſtatum expectare debeamus.

Si quando ſymptomata poſt primam ſanguinis emiſſionem non mitigantur, poſt octo, decem aut duodecim horas, immo quoque citius, ſi ſymptomata magis exacerbantur; plus ſanguinis eſt detrahendum, atque hoc repeti debet, ſi febris, oppreſſio, anxietas & ſpirandi difficultas augentur vel æquali ſeveritate continuant: in primis ſi ſanguis detractus firmior & denſior apparet, vel tenaci flaveſcente cruſta aut corio, ut dicitur, obtegitur; quod quidem ſæpius haud prius quam ſecunda aut tertia ſanguinis detractione in conſpectum venit, licet ſymptomata ſummam indicent inflammationem. — Haud raro quoque hoc contingit, ſi parvo ex orificio ſanguis in brachio deſtillat, faſcia nimis eſt adſtricta, aut cutis ſuper venæ orificium ducitur: quorum aliquo impeditur, quin pleno flumine effluat ſanguis.

Denſæ hujus cruſtæ phænomenon in ſanguine

ac pulſus fortis & durus ſanguinem detrahere jubent, donec ad minimum liberior & facilior reddatur reſpiratio. — Quod ſi vero craſſamentum aut maſſa concreta laxioris ſit texturæ neque cruſta tenaci obtecta, & pulſus remittere, tremere aut debilior & tenuior fieri videatur ſanguinis detractione, ut ea deſiſtamus aliaque relevandi methodo utamur, tempus adeſt. — Tenera cœrulea ſanguinis pellicula, cui proxime ſubjicitur mollioris viridefcentis gelatinæ genus, (ſi cruor ipſe lividus, tenuis & laxus, ſerumque turbidum, rubicundum aut viride eſt,) laxioris ſanguinis craſis magnæque acrimoniæ ſunt ſigna, quæ, ut larga detrahatur quantitas, non permittunt. — Quid? quod ſanguis quoque floridior, tenuior & laxior, qui per aliquod temporis ſpatium repoſitus parum vel nullum ſecernit ſerum, quam ſpecioſum hominibus minus expertis videri poſſit, nulla ratione ſanguinem bonum, ut illi credunt, ſiſtit: ſed in genere, ſpeciatim vero in hoc morbo, admodum inſignem, ad putridum valdeque acrem ſtatum prodit progreſſum; quod ſi enim ſpiritus cornu cervi, aut ſal ammoniacum cum ſanguine ex vena profluente ſaniſſimi hominis commiſcetur, florido iſto colore ſemper tingitur, atque parum vel nullum ſegregatur ſerum, quam diu etiam reponatur, ſed perpetuo laxum & quaſi ſemifluidum remanet. — Cornu cervi ſpiritum frequentius largaque quantitate datum ſanguinem diſſolvere & profuſas excitare hæmorrhagias notatu eſt dignum; quam obſervationem ut omnes illi, qui eo nimis frequenter & liberius utuntur, bene perpendant, neceſſe eſſe exiſtimo.

Fortis, frequens, celer in peripneumoniis pulſus

ſus ſemper plurem ſanguinis detractionem ſuadet, ad minimum donec quoddam ſpirandi levamen aut liberior materiæ notæ bonæ obtineatur exſcreatio. — Haud raro autem contingit, ut pulſus in ipſis principiis obſcurus & oppreſſus, inordinatus, tardus & nonnunquam intermittens videatur, ut ægrotus eodem tempore de magna debilitate atque oppreſſione conqueratur, quæ quidem omnia ſanguinis detractione interdicere videntur; pectoris tamen gravitas, ſpirandi difficultas, anxietas major & æſtus circa præcordia ſentitus, eam aperte poſtulant. — Cuncta hæc ſæpe juniores vexant medicos. — Quibus vero perpendendum eſſet, talem ſubitaneum virium, ſpirituum pulſuſque defectum ortum ſuum non a ſanguinis inopia trahere, cum, morbi per aliquot horas aut per unum alterumve diem durationem liquidum vitale inſigni ratione exhauſiſſe, vix aſſeri queat. — Tali profecto in caſu non ſanguinis defectus, ſed nimia ejus copia præcipua horum ſymptomatum eſt cauſa. — Humoribus enim aggravata & ultra juſtum tonum diſtenta vaſa ſanguifera tanto vigore, quantum ſufficit, agere nequeunt. — Æquilibrio ſolida inter & fluida non ſatis conſervato, vaſa moventia ſanguinem vi conveniente propellere minus valent; pari fere ratione, ut nimium ſyringæ embolo oppoſitum pondus ejus liberam impedit actionem.

Hinc profecto ſubitanea ob juſtæ circulationis ſanguinis atque convenientis ex eo ſecretionis defectum, ſpirituum ſubſequitur inopia, indeque ad ſtagnationes, concretiones & ingentem triſtium ſymptomatum ſeriem, mortemque ipſam proclivitas, niſi mature tanta ſanguinis, quanta ſufficit, detractione avertatur; quæ ſangui-

nis quantitatem nimiam imminuendo inter ſolida & fluida æquilibrium & muſculoſis elaſticis liberam reſtituit actionem canalibus, quæ nunc iterum majorem vim in humores contentos exſerunt, & circulationem magis æquali & conſtanti ratione incitant: quæ omnia in id annituntur, ut nimis craſſum & viſcidum ſanguinem attenuent, atque ad ſecretionem ſpirituum animalium magis reddant aptum, qui deinde cordis vaſorumque actionem augent. — Ita ut tali in caſu ſanguinis emiſſio tantum abſit, ut debilitet, ut potius naturæ vires excitet; prouti ſemper in ſanguinis detractione hominum plethoricorum pulſu oppreſſo, ut proprio nuncupatur nomine, laborantium manifeſtum eſt, quorum pulſus ſanguinis emiſſione conſtanter deprehenditur excitatus.

In quibuſdam violentioribus peripneumoniis, ubi utrique pulmonum lobi inſigniter inflammantur & obſtruuntur, mox ſumma accedit debilitas, quam incredibilis anxietas & oppreſſio pectoris, pulſus valde tenuis, debilis & tremens, extremarum corporis partium frigus cum viſcido, frigido, inæquali ſudore comitantur, oculi ſunt torvi, fixi & inflammati, os inflatum & fere lividum; atque hæc cuncta ſubito excipit ſtupor, delirium: & quoſdam (licet profecto paucos) vidi, ubi perfecta incideret paraplegia.

Qui caſus ſane eſt triſtiſſimus, non vero a ſanguinis inopia, ſed ab ejus juſti circuitus & diſtributionis pendens defectu: cum enim plurimi pulmonum arteriarum rami inſigniter obſtruantur, & quo minus a dextro cordis ventriculo ad ſiniſtrum pervenire poſſit, impeditur, ita ut arteria aorta ejuſque rami non tantum ſanguinem, quantum ad communia vitæ munera exſequenda

ſuffi-

ſufficit, accipiant; inde cito plenaria obſtructio & ſubitanea mors ſubſequitur. — Diſſectiones hanc rem ita ſe habere, demonſtraverunt, cum pulmones ſanguine concreto, rubro, duro omnino repleti & carni quaſi ſimiles vel potius colore & ſubſtantia hepatis atque adeo ponderoſi deprehenſi fuerint, ut particula eorum abſciſſa ac aquæ injecta fundum peteret (*) — Quod ſi quid hoc in caſu deplorando effici poteſt, illud fieri debet matura & mox tentata ſanguinis emiſſione, alias paucis horis res erunt prorſus irreparabiles. — Poſt ſanguinis uno eodemque tempore emiſſionem ex utriſque brachiis, ſi convenienti tempore facta eſt, mirum exoptatumque vidi effectum.

At enim vero nonnullæ extant peripneumoniæ ſpecies, quæ nulla ratione largam ſanguinis ſuſtineant detractionem, ut quidam indubitatæ fidei annotaverunt ſcriptores medici. — Ego vero idem illud in variis peripneumoniis epidemicis vertente anno 1745. & ineunte anno 1746. (**) obſervavi; quibus temporibus peripneumonia graſſabatur epidemica, in qua poſt alteram (& interdum quoque poſt unicam) ſanguinis emiſſionem pulſus & vires ægroti mirum in modum proſternebantur; & quæ in febris mutabatur ſpeciem nervoſæ, cum qua magni tremores, tendinum ſubſultus, profuſi ſudores, aut diarrhœa atra bilioſa cum lingua nigra, comate vel delirio erant conjuncta; quamquam in principio pulſus plenus & celeriter tremens, dolor, tuſſis & oppreſſio ita urgere videbantur, ut ſanguinis emiſſionem quam maxime indicarent. — Quo in caſu raro ſanguis

(*) Vid. HOFMANN Opera. T. II. Sect. II. Cap. de febribus peripneumonicis. Obſ. I.

(**) Vid. Obſerv. noſtr. de aere & morb. epidem.

guis aliqua inſigni cruſta obtectus, ſed plerumque floridus, *laxioris* tamen *mollioriſque conſiſtentiæ* *vel coloris obſcurioris* & *tenuiore*, *cærulea aut virideſcente incruſtatus pellicula* occurrebat, ſub qua *tenuis virideſcens gelatina* & in fundo *obſcure lividus* hærebat *cruor*. — Interdum quidem cruſta erat craſſior & tenacior, ſed *colore pallide rubicundo*, *baccis corni* vel *dilutæ ribeſiorum* rubrorum *gelatinæ* ſimili. — Quod phænomenon ſæpius in veris pleuroperipneumoniis obſervavi. — Si quando ego talem laxum diſſolutum video ſanguinem, in conſilio plus ſanguinis emittendi ſemper caute verſor, in primis ſi poſt ejus detractionem pulſum vel quoque ægrotum magis languentem deprehendo, etſi oppreſſio, pondus vel quoque dolor id requirere videntur. — Pari obſervationis genere LANCISIUS & poſt eum BAGLIVIUS, a continuanda ſanguinis miſſione abſtinendum eſſe, ſi nulla in eo ſecundum emiſſo appareat cruſta tenax, caute admonent: *In pleuritide, peripneumonia, & hujuſmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine e vena ſecta extracto non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſario apparere debet, peſſimum; — ſi vero in altera ſanguinis miſſione incipiat apparere, bonum: contra ſi in ſecunda ne quidem apparebit, abſtineto ſtatim a ſanguinis miſſione, aliter interficies ægrotantem.* (*) — Ego quoque cum BAGLIVIO tam in priore, quam poſteriore prædictionis parte, ſanguinem in principio febrium pulmonicarum detractum floridum peſſimi ſemper eſſe ominis, conſentio; id enim, vel ſanguinis craſin maxime perturbatam & diſſolutam eſſe, vel craſſum inflammatorium ſanguinem in pulmonum arteriis impactum hærere, neque aliquid præ-

ter

(*) Vid. BAGLIVII Opera Lugduni 1710. 4to. Cap. de Pleuritide. p. 37.

ter tenuiorem & maxime ſeroſam partem tranſi-re & ad cordis ventriculum ſiniſtrum perveni-re poſſe, oſtendit.

Nihilo minus facere non poſſum, quin anno-tem, interdum quidem in peripneumonia & pleu-ropneumonia primum & ſecundum quoque emiſ-ſum ſanguinem nulla cruſta obtectum apparere, tertium tamen fore valde tenacem, idque præci-pue fieri, quando in brachio deſtillat, neque ple-no flumine profluit ſanguis; tunc vero & hoc ob-ſervandum eſt, quod ſanguis hic, licet appareat floridus, frigidus tamen redditus, fit denſior & te-nacior; cum e contrario in caſu ſupra relato, ſan-guis quidem ſatis floridus, laxioris tamen mollio-riſque eſſet contextus, neque unquam in ordina-tum, firmum coiret craſſamentum. — Tale la-xioris, diſſoluti & floridi ſanguinis genus ſæpius hominibus navigantibus in principio anni 1746. (*) detrahebatur, eumque ſemper comitabantur peſſima, ſæpiuſque mortifera ſymptomata. — Ta-les malignæ peripneumoniæ ſæpiſſime profecto *nautis* poſt longa itinera & hominibus ſcorbuto inſigni affectis, contingunt. — Qui primo præ reliquis difficulter & brevibus intervallis ſpiritum trahunt, langueſcunt & leviſſimo motu debilitan-tur, ac vagis tranſientibus horroribus, æſtu, & totius corporis doloribus afficiuntur; febris cum magno præcordiorum pondere, brevi, importu-na, ſicca tuſſi, pulſu celeriore, tenui & molliore, quam in peripneumoniis inflammatoriis conſue-ſcit, ſudoribus viſcidis inequalibus, & perpetua inquietudine atque anxietate ſuccedit; tandem *te-nuem, glutinoſam, cruentam* aut *obſcurioris coloris* ac fre-

(*) Vid. Obſerv. noſtr. de aere & morbis epidemi-cis. Menſe *Januario, Februario & Martio.*

frequenter *inſenſiſſimi odoris materiam* rejicere incipiunt; præter ea iſtis rubrarum, caſtanei coloris, lividarum vel nigrarum petechiarum accedit eruptio. Urinæ color plerumque eſt obſcure niger, vel *igneus lixivioſus, haud ſecus ac ſi parva ſanguinis quantitas in ea ſit diſſoluta*; in hac parva quantitate emiſſa nihil deſidit; in illa vero nonnunquam occurrit larga livida hypoſtaſis, nonnunquam nihil aliud, quam materia furfuri ſimilis hinc illincque eſt diſperſa. — Cum hæc ſymptomata maximo craſis ſanguinis diſturbatæ atque acrimoniæ humorum ſummæ ſint argumento; ſanguinis detractio largior non facile prodeſt, licet ſæpius imprudenter ſuſcipiatur.

Quamquam in febribus pulmonicis, ſi in ſanguine ſatis tenax & craſſa apparet cruſta, in genere non malum eſt ſymptoma; quando tamen ejus tenacitas inſignior & color ſumme luteus aut pallide plumbeus eſt, periculum ſubeſt, lentoremque inflammatorium ſumme exacerbatum eſſe, ejus reſolutionem vel attenuationem perdifficulter fieri & vix ullam cum ullo diluente ſumto permittere commixtionem, ea demonſtrat. — Quod ex forma inæquali, quam ſanguinis craſſamentum poſt largas & frequentes ſanguinis emiſſiones in violentis pleuriticis aut peripneumonicis febribus effingit, & cui vel figura globularis vel potius lata ſphærica eſt, apparere videtur; tunc enim ſanguinis placentam in magna tenuioris & nonnunquam prorſus limpidi ſeri quantitate innatare, deprehenditur; cum ejus ſuperficies vel cruſta concava & contracta fere adeo tenax ut corium ſit, & tota maſſa ad carnis firmitatem & duritiem propius accedat. — Cum vero hoc in caſu magna partis ſanguinis globularis copia per ejus repetitam emiſ-

ſionem

ſionem detrahitur, craſſamentum quidem quantitate diminuitur, ſemper tamen inſignem viſciditatem retinet morboſam, & cum ejus globuli admodum ſint denſi, alter alterum fortius attrahit, prouti ex ipſius craſſamenti figura & conſiſtentia apparet: ac licet in comparatione ſerum uſu diluentium largiore multum fuerit auctum; ex ejus tamen tenuitate atque limpitudine, ea cum globulari & ſulphurea vel oleoſa ſanguinis parte neque bene mixta neque unita eſſe, manifeſtum eſt. Quid? quod aquea diluentia larga quantitate his in febribus hauſta, tam limpida & inſipida quam aqua per urinam fuiſſe reddita (*) aut profuſioribus ſudoribus erupiſſe, ſæpius fuit obſervatum; quod neque ullo modo cum ſanguine proprie ſic dicto convenienter miſceantur, neque ullo modo vim ſuam in ejus ſalinas & ſulphureas exſerant partes, quæ compoſitione firmiſſima diluentium eludunt efficaciam. Quod aliquoties in pleuroperipneumonia vidi, ubi poſt quartam aut quintam ſanguinis emiſſionem tam violenter ut antea continuabat dolor & pars ſanguinis globularis ita erat diminuta, ut craſſamentum vix ſextam totius ſanguinis voluminis partem efficeret, tanta tamen firmitate, quanta carnis fruſtum, erat præditum. — Qui caſus plerumque ſunt mortiferi.

Si quando poſt alteram vel tertiam ſanguinis emiſſionem, immo ſi poſt primam ægrotus materiam coctam, flaveſcentem ſanguine leviter tinctam libere exſcreare incipit, & ſi in primis ſpiritus liberius, quam plerumque fieri ſolet, trahitur, ab illa abſtineto: alias ſine ratione debilitatur ægro-

tus,

(*) Urinam, quæ poſt potum cito redditur in pleuriticis & peripneumonicis malam eſſe, obſervavit HIPPOCRATES Coac. prænot. Sect. V. Edit. LINDENI p. 584.

tus, immo ipſius maximum in detrimentum prorſus ſupprimitur exſcreatio, qua tamen natura nunc morbum ut per criſin convenientiſſimam & accomodatum colatorium abigere molitur; cum materia obſtruens in extremis arteriarum bronchialium & pulmonicarum finibus ita cocta, reſoluta vel digeſta ſit, ut libere in veſicularum bronchialium cæterarumque partium cava tranſire & ſic ex trachea tuſſi & exſcreatione rejici queat; unde ultimi harum arteriarum rami iterum aperiuntur & ſanguinis circuitus per pulmones tandem juſte reſtauratur.

Ex arteriis bronchialibus in tracheæ ejuſque ramorum cava hic exiſtere viam, manifeſtum eſt, nam oleoſus ille mucus, qui in ſtatu naturali internam aſperæ arteriæ ejuſque ramorum membranam illinit & lubricat, ab arteriis ſecernitur bronchialibus.—Atque, aquam, ſerum cæteraque ex arteriis pulmonalibus libere in veſicularum bronchiorumque cava tranſire, æque compertum habemus: ut ex RUYSCHII & Doct. HALESII accuratiſſime tentatis apparet experimentis.—Quemadmodum enim re vera arteriæ bronchiales & pulmonales per differentes ramos innumeris junguntur anaſtomoſibus; ſic quoque arteriæ pulmonum pari ratione cohærere poſſunt cum bronchiis.—Itaque ſi materia obſtruens juſte ſatis cocta & attenuata, vaſaque ita ſunt dilatata, ut liberum permittant tranſitum; ea in bronchiorum cava delata exſcreatione tandem ex pulmonibus ejicitur.—Quarum arteriarum ramos laterales vel ſeroſos ita dilatari poſſe, ut nonnunquam & quidem ſatis libere globuli ſanguinis rubri in bronchiorum cava per eos tranſire queant, manifeſtum eſſe videtur, prouti id ſpe-

ſpeciatim in illis, qui ſanguinem exſcreant, videre eſt, quod, ut GALENUS & veteres reliqui appellaverunt, fieri ſolet per *diapedeſin*; quaſdam enim hæmoptyſes non a vaſorum ruptura oriri, pro certo habendum eſſe exiſtimo, cum ne ullus quidem dolor, materia purulenta vel ſimile quid eam præcedat, ſubſequatur aut comitetur.

Quod ſi vero hæc vaſcula pulmonum minora ita apta redduntur, ut facile dilatari poſſint, ea minus a lentore inflammatorio perferunt, quam ſi valde rigida & elaſtica ſunt: ut plerumque robuſtis atque laborioſis contingit, qui ut HIPPOCRATES (*) obſervavit, pectoris & pulmonum inflammationibus magis ſunt obnoxii & fortius ab iſtis affliguntur. — Atque hoc profecto quotidiana comprobat experientia; pari quoque modo ſequens hujus magni medicinæ parentis obſervatio ratione laudabilis exſcreationis ſupra a me relatæ, ſe habet. „ Αἵματι δὲ ξυμμεμιγμένον μὴ πολλῷ πτύελον ξανθὸν, ἐν τοῖσι περιπλευμονικοῖσιν, ἐν ἀρχῇ μὲν τῆς νούσου πτυόμενον περιεστικὸν (**) καὶ κάρτα ὠφελέει (*Sputum autem flavum, ſanguine permixtum non multo, ſi in pulmonis inflammatione, in principio morbi rejiciatur, ſalutare eſt & valde prodeſt:*) HIPPOCRATES *Prognoſt.* Atque profecto ipſæ fœminæ ægrotis ſuccurrentes in quibuſdam epidemicis pleuropneumoniis & peripneumoniis obſervavere, omnes illos, qui ſanguinem exſcreant, bene ſe habere. — Nihilo minus tantum abeſt, ut

(*) Coac. prænot. 29. Lib. II. Cap. XVI. de pleuritide, edit. DURETI.

(**) Ita cum FOESIO legendum eſſe pro περιεκτικόν, autumo, cum magis ad ſenſum & dictionem accedat HIPPOCRATIS.

ut hoc ſemper cum veritate conveniat, niſi materia ita, ut ſupra propoſui, deprehendatur: ubicunque enim vel valde ſpumeſcens vel ſincerus floridus, vel niger & aliqua ex parte coagulatus ſpongioſus & hepatis colorem referens exſcreatur ſanguis, longe alia res eſt; cum is, nullam materiæ obſtruenti parem reſolutionem aut coctionem factam eſſe, commonſtret; ſed, cum altius radices egerit & vis cordis impellens ſit vehementior, quædam vaſa fuiſſe diſrupta & ſanguinem ex eis in pulmonum cava profluentem ita exſcreari.—Quod ſi enim majores in quibuſdam pulmonum partibus ſunt inductæ obſtructiones, ſanguis majori copia & aucta rapiditate per vaſa pervia tranſprimatur neceſſe eſt; quæ ea propter nimium diſtenta, ſæpius diſrumpuntur & ſanguinem in bronchiorum cava & interdum in intimas veſicularum cellulas infundunt. — Qui ſanguis ſtatim rejectus exſcreatione floridus & ſpumoſus apparet, neque ullam infert noxam majorem; ſed, magna ejus parte plerumque in pulmonibus remanente, & veſiculas replente aereas, illarumque vaſa comprimente ſanguifera, maxima oritur calamitas; quibus ſpirandi difficultas multum augetur & ſanguinis per pulmones inſigniter impeditur circulatio.—Siquidem is, cum difficillime ex his minoribus veſicularum cellulis eliciatur, ibi diutius hærens magis magiſque putreſcit, donec tandem in ſaniem corrodentem mutatus ipſam pulmonum ſubſtantiam deſtruit: Sed hac de re pluribus agam in ſequentibus.

Cum omnis pulmonum inflammatio vel ægrotum, ob impeditum ſanguinis per illos tranſgreſſum ſubito jugulet, vel ſuppuratione, gangræna aut ſcirrho terminetur, niſi cito materia obſtruens

bene

bene reſolvatur, aut coquatur; omnem adhibere debemus operam, ut juſtæ ſanguinis quantitatis detractione, ut primum fieri poteſt, inflammationem diminuamus & auferamus; quando enim fortaſſe jam formatur abſceſſus, tunc ſanguinis nullam affert utilitatem detractio. — Quid? quod ſi phlegmone jam longius eſt progreſſa, quam ut reſolvi poſſit, ſanguinis ſane emiſſio nocet, cum operationem naturæ ſe a materia obſtruente laudabili ſuppuratione liberandi, retardet: tali enim ratione, ut diutius ſtagnet materia & magis magiſque reddatur acris, efficitur; quæ tandem partes vicinas afficiens multo majorem excitat abſceſſum, quam antea factum fuiſſet, ſi natura propriis ſuis molíminibus eſſet relicta: immo interdum evidenti gangræna & interdum pertinaci ſcirrho finitur, qui breve, quod ſupereſt, vitæ ſpatium reddit miſerrimum.

Sanguinis in vera peripneumonia detractionem poſt quartum vel quintum diem parum ad ſuppurationem avertendam, conferre, generatim annotaverunt medici: omnis enim phlegmone eo tempore ſuppurare incipit, niſi antea ſit reſoluta: hoc in primis eo magis & citius talibus partibus, quales ſunt pulmones, eveniet, qui ab omni latere calore humido teguntur, & propius abſunt a corde, quod vim ſuam perpetuo & fortiter in inflammatoriam obſtructionem exſerit. —Ita ut, ſi ſymptomata peripneumonica magna cum violentia per quatuor, quinque aut plures ſubſequentes dies perdurant, abſceſſus aut plenaria deſtructio recte metuantur, parumque utilitatis a ſanguinis detractione continuata ſit ſperandum.

At enim vero, ſi dolor, qui per ſatis longum temporis ſpatium ceſſavit, cum violentia redit,

aut aliam pectoris partem afficit, hoc inflammationis denuo excitatæ eſt indicium; quæ non minus, quam in priori, licet non tanto in gradu ſanguinis poſcit detractionem: nam hic impetus acceſſorius ejuſdem omnino indolis & in eodem eſt organo, ut prior, indeque eandem methodum, ejus progreſſum & mala avertendi majora, requirit. Ægroti vires, & pulſus, doloris violentia & ſpirandi difficultas ſunt præcipua, quæ quantitatem determinare debent: ſic quoque ſanguinis color & habitus atque ſeri quantitas & qualitas ſunt conſiderandæ. Ego quidem interdum die a primo morbi impetu nono vel decimo ſanguinem emittere juſſi, & hunc tam viſcidum, quam illum ſecundo aut tertio die emiſſum inveni, idque eo magis, ſi lanceola non timide demittebatur; ſed craſſamentum, licet tenacitate ſua excederet, multum tamen in comparatione ſeri erat diminutum.

Exſcreationem antea quidem liberam & copioſam, ut primum alter iſte impetus & dolor cum aliqua violentia accedit, prorſus ceſſare vel maxima cum difficultate peragi, plerumque obſervatur; cum doloris violentia, ut ſatis juſte expandatur thorax & pulmonum, pectoris & abdominis muſculi tanta vi, quanta ad materiam ejiciendam requiritur, agant, non permittat: haud mentionem faciam, inflammatione juſtam muci lubricantis impediri ſecretionem, quæ naturaliter ad inungendam tracheæ bronchiorumque membranam internam & ad evacuationem materiæ cujuſcunque in eis contentæ juvandam ſecerni debet. — Atque inflammatione ſanguinis detractione remota exſcreationem redire facilem & liberam, re ipſa deprehenditur.

Igitur,

Igitur, licet in peripneumonia & pleuropneumonia noſtrum in primis ſit, ſanguinis detractione ante diem quintum efficere evacuationem; novo tamen violenti doloris, ſpirandi difficultatis & ſuppreſſæ exſcreationis in impetu iterum haud ſecus ac in novo morbo (*) maxima vero cum cautione & temperantia incipere debemus; cum omnis recidiva his præcipue in caſibus ſit periculoſa, ægrotus quotidie magis debilitetur & eo minus ullam ſanguinis inſignem perferre valeat evacuationem. Hanc quoque ob rationem, quocunque leni dolore accedente ad ſanguinis detractionem confugere, minus prudenter agitur: dolor enim major vel minor ſæpius febre prorſus ceſſante ſpeciatim poſt pleuropneumoniam per longum temporis ſpatium, continuat: *debet prius ceſſare febris, & poſtea dolor affecti lateris*, ait BAGLIVIUS (**).—Sanguinis autem detractio in primis minus convenit, quando copioſa laudabilis materiæ expectoratio ſatis facile procedit, etſi iſta ſanguine leviter tincta ſemper continuare debet; cujus rationem ſupra indicavi; ſcilicet, reſolutionem & coctionem materiæ inflammationis novæ indicat. Immo eandem ob rationem cavendum eſt, ne materia iſta ſanguine leviter tincta cohibeatur, licet ſæpe imprudenter præſcribantur & inepte adhibeantur adſtringentia: aſt hoc efficiunt ii, qui parum ad naturæ operationes & multo minus ad HIPPOCRATEM, magnum ejus interpretem, attenderunt. — Dubio procul magis convenit, ut dolor & tuſſis importuni-

(*) HIPPOCRATES *Anaxioni* die octavo ſangninem detrahebat, quoniam dolor perdurabat, neque is exſcreabat. Lib. III. Epidem.

(**) Lib. cit. in Cap. de pleuritide.

tas lenioribus opiatis, temperantibus, mollientibus, demulcentibus & leniter expectorantibus ſubleventur.

Sanguinis detractionis ratione in morbis pulmonum bina tantum ſunt addenda. — Primum eſt, ſanguinis ex vena ſaphæna vel pede emiſſionem minus talibus in caſibus in uſu eſſe, quam quis ob ipſarum rerum rationem & experientiam certam de ejus in ſanguinis ex pulmonibus exſcreatione præſtantia credere poſſit; equidem, poſtquam conveniens ſanguinis quantitas ex brachio fuit detracta, hanc convenire puto: eam ut admodum ſalutarem jam ante aliquot ſæcula ſuaſit ALEXANDER TRALLIANUS (*). — Alterum eſt, ſi pulſus & vires ægroti ſanguinis ex vena majori emiſſionem haud permittere videntur, tuſſis tamen oppreſſa, laborioſa, dolens, atque ſuffocatio valde urgent; tunc ſanguinis ope cucurbitularum in axillis aliiſque corporis partibus cum utilitate fieri detractionem, ſæpiuſque eximium non minus in pectoris, quam quoque capitis morbis afferri levamen, etſi ratio non ubivis obvia neque adeo facilis ſit demonſtratu. Interim, majorem ſanguinis hoc modo detracti arteriarum eſſe partem; — uſumque veſicatoriorum, fonticulorum, ſetaceorum & quoque cucurbitularum his partibus applicatarum in tuſſi aſthmatica & defluxu in pulmones cæteriſque ſatis eſſe cognitum, eſt perpendendum; indeque ſatis apparere videtur, revulſionem atque evacuationem, hac ratione factam in pulmonum inflammationibus valde ſalutarem eſſe poſſe & quoque ipſo in eventu eſſe.

Quamquam ſanguinis detractio in omni pulmo-

(*) Cap. VII. p. 94. ex Editione ROB. STEPHANI, Lutetiæ 1548. fol.

monum inflammatione quodammodo quam maxime eſt neceſſaria & nonnunquam quoque tempeſtive adhibita plenariam præſtat curationem; generatim tamen variis aliis quoque indicationibus reſpondet: etenim tam febris, quam peculiaris inflammatio refrigerans diluenſque regimen, nitroſa ac relaxantia medicamenta ſimul cum aere libero moderate frigido, atque, quantum fieri poteſt, requiem & animi & corporis requirunt. Aliquam ſanguinis viſcidi, obſtruentis, inflammatorii partem detrahere, parum prodeſt, niſi reſiduum ejus refrigeretur, diluatur & attenuetur, ac generatio lentoris inflammatorii major nitroſis attenuantibus, refrigerantibus ſaponaceis medicamentis, diluentibus, relaxantibus, emollientibuſque potionibus, emulſionibus, cæteriſque avertatur; quæ calidum regimen, calida medicamenta, calidus aer, corporis motus major & animi agitatio multum augere ſolent. Hominibus paroxyſmo aſthmatico affectis, ut corpus ſitu quieto ſervent, & aerem frigidum inſpirent, opus eſt, alias eis ſuffocationis imminet periculum: quanto magis autem hoc neceſſe erit, ſi non vaſa pulmonum ſolum inſigniter ſunt obſtructa, ſed quoque ipſa eorum ſubſtantia eſt inflammata? — Conclave clauſum, parvum, humile parum hominibus febre aliqua affectis, multo minus vero illis peripneumonia laborantibus convenit, ut haud raro inter inferioris generis artifices obſervavi, quorum nonnunquam duæ vel fortaſſe tres ſimul in una domo vivunt familiæ. — Nulli febris ſpeciei, quam peripneumonicæ magis convenit, quid quod magis neceſſarium eſt CELSI conſilium, *in amplo conclavi tenendus æger.* (*) — Quod ſi vero tale vitari

(a) Lib. III, Cap. VII.

nequeat conclave, id certe frequenter, aſt prudenter aere renovandum eſt.

Paucæ vel nullæ peripneumoniæ, vel pleuropneumoniæ ſine libera & copioſa exſcreatione bene terminantur; hæc enim eſt criſis horum morborum naturalis, ut HIPPOCRATES omneſque acutiores annotaverunt medici & materiæ morboſæ obſtruentis exſcreationis defectum convenientis maxime periculoſum pronunciaverunt, αἱ ξηραὶ τῶν πλευριτίδων ἄπτυστοι χαλεπώταται, (*) — & iterum in *Prognoſticis*, peſſimum, ait, ſymptoma eſt, quando μηδὲν ἀνακαθαίρεται ἀλλὰ πλήρης ἐὼν ζέῃ ἐν τῷ φάρυγγι. (**) — Quo citior, facilior & largior materiæ coctæ exſcreatio accedit; eo melius eſt. — In genere quidem ea in principiis cruda & tenuis eſt, ſed brevi, ſi res rite procedunt, colorem albidum, flavum induit & meliorem oſtendit coctionem, ac circa tertium diem ea plerumque ſtrias ſanguineas habet intermixtas, vel ſanguis ita cum iſta eſt unitus, ut ſanguineum referat colorem, *flavo rubeſcentem*, ut BAGLIVIUS (***) eum appellat, vel dictione HIPPOCRATIS πτύελον ὕφαιμον. — Cujus materiæ ſpecies multum levaminis reſpirationi, dolori & pectoris oppreſſioni affert & morbum generatim ſeptem diebus terminat.

Nihil vero magis efficaciter (materiam impactam attenuando & reſolvendo) exſcreationem promovet, quam libera & crebrior refrigerantium, relaxantium leniterque ſaponaceorum diluentium potatio, qualia ſunt tenue lactis ſerum, ptiſana ex hordeo, liquiritia, ficubus cæteriſque parata, decoctum

(*) Coac. Prænot. 3. Cap. XVI. edit. DURETI.
(**) Sect. XIII. edit. LINDEN.
(***) Libr. cit. Cap. de pleuritide.

coctum vel potius infuſio herbarum pectoralium, ut hederæ terreſtris, capillorum veneris, bardanæ, hyſſopi, cæterarumque. — Quæ ſucco limonum aut aurantiorum hiſpanienſium leniter acidulæ reddi debent: — quod ſi res quædam magis abſtergens requiritur, iſtis potus generibus mel addi poteſt: ſapo quidem mirabilis, naturalis, cardiacus, ex recentiorum vero materia medica fere expulſus, quo modo & cur hoc factum ſit, neſcio; licet enim uni purgationem & tormina excitet, a millibus tamen perfertur, atque ipſa quoque tormina excitandi & purgandi qualitas coctione facile corrigi poteſt. — His in caſibus oxymelle & mulſo utebatur HIPPOCRATES, & meram aquam bibere diſſuadet, cum neque tuſſi conducat, neque expectorationem promoveat: (*) — Quorum quædam vel omnia calide hauſta ſuperiori conſilio egregie reſpondent, ſi crebro, parva tamen copia hauriuntur, vel potius quaſi perpetuo ſorbentur: hac enim ratione plus relaxantis & reſolventis vaporis in ipſos pulmones inſpiratur & magis per vaſa eorum bibula probabiliter abſorbetur: ita ut tali modo relaxatio & dilutio duplici ratione promoveatur indeque reddatur efficacior. Hauſtus admodum largi uno impetu haud ſunt ſumendi; ii enim ventriculum onerant, coctionem impediunt, & flatus generant, ac diaphragma nimium expandunt, quæ magnam ſpirandi efficiunt difficultatem: — quam ob rem, ut his in morbis ex lagena, cui parvum ſit orificium, bibatur, ſuadet HIPPOCRATES (**) eam probabiliter ob ratio-

(*) de Victu in morb. acut. Sect. XXX. edit. LINDEN.
(**) Μὴ ψυχρὸν, ὀλίγον δὲ ἐκ βομβυλίȣ εὐρυστόμȣ: ita enim legendum eſt, aut tantum βομβυλίȣ, ut omnes commentatores conſentiunt, Lib. III. de morb. Sect. XXIV. ed. LINDEN. Vid. GALENUS, EROTIANUS, & FOESIUS, de verbo βομβύλιος.

ctionem, ut partim liquor & vapor diutius conſerventur calidi, partim ut minus uno tempore bibatur, atque ut ſic vapor ore & naribus attrahatur copioſior. — Cæterum, ut ad exſcreationem promovendam, ſine qua moritur ægrotus, libere bibatur, ubique ſuadet (*): — varia quoque potus genera hunc in finem proponit, in primis vero aquam cum hordeo coctam, mel cum aqua, oxymel & vini acetum cum aqua commendat.

Potus iſti & vapores relaxantes ac emollientes peculiarem in modum, quando exſcreatio difficilior & tenacior eſt, ac ſimul quoque illis ſunt neceſſarii, quibus corporis habitus eſt ſtrictior & fibræ rigidiores, quales generatim ſunt homines duriore labore exercitati, & calida ſiccaque conſtitutione præditi. — Cum enim aerem valde ſiccum, vel calidus ſit vel frigidus, liberam & copioſam impedire exſcreationem, deprehendatur; inde humidus & calidus (**) eam promovere debet, quoniam vaſa relaxat, & ſic nimis viſcidos humores aliquo modo attenuat. — Fervidas potiones ad obſtructiones pulmonum reſolvendas multis commendat BAGLIVIUS (***): ego vero caloris moderatum gradum tam ad reſolutionem, quam ad relaxationem magis convenire exiſtimo. — Fomenta enim nimis calida externis partibus applicata humores ſpiſſiores reddere & cutim corrugare, ac inflammatis partibus minus convenire, obſervatum fuit. — Vapores quoque prouti rerum poſtulat ratio, magis vel minus ſtimulantes efficí

(*) Lib. I. de morbis Sect. XXVI. --- De locis in homine Sect. XXX. XXXII. edit. LINDEN. & plurimis aliis in locis.

(**) Neque potus frigidus, neque aer frigidus, ARETÆUS inquit, in pleuritide conducunt.

(***) Loc. cit.

ſici poſſunt. — Ego quidem ipſe aceti vaporem in peripneumoniis malignis non parum attuliſſe utilitatis, ſum expertus. Varia medicamentorum alia genera procul dubio in forma vaporis maxima cum utilitate adhiberi poſſunt: aceti camphora referti vapor variis in caſibus remedium eſt haud ſpernendum.

HIPPOCRATES atque veteres in pulmonum morbis exſcreationis neceſſitatem adeo urgebant, ut non ſolum remediis antea propoſitis eam promovere anniterentur, ſed quoque in caſibus difficilioribus multo efficacioribus uterentur expectorantibus: (*) hordei cremorem cum melle aut oleo, oxymel, hyſſopum, rutam, galbanum, ſinapi, piper, ſilphium, (**) quæ erant mitiora; in caſibus deſperatis helleborum album, (***) elaterium, ἄνθος χαλκȣ ſuadebant; atque profecto ille deſperatus eſſe debet, qui ea noſtris temporibus comprobare velit; cum vero iſti iſtis temporibus aliis carerent, deſperatis in morbis deſperata adhibenda erant remedia. — Nobis materia medica patet multo amplior, & rebus uti poſſumus multo mitioris indolis. — Ego vero variis temporibus in peripneumoniis magno cum ſucceſſu dedi vomitorium, quando exſcreatio ſubito ſuppreſſa & ſpirandi difficultas aucta erat; hoc vero antea non tentavi, quam conveniens ſanguinis quantitas detracta & febri violentia imminuta fuerat: aſt hoc

in

(*) Ἰσχυρότατα ἐπαναχρεμπτήρια φάρμακα (fortiſſima exſcreatoria medicamenta); HIPPOCR. de Locis in homine. Sect. XXX. edit. LINDEN.

(**) HIPPOCRATES Lib. III. de morbis Sect. XVIII. XXV. edit. LINDEN. & alibi paſſim; & ARETÆUS ea ipſa in pleuritide & peripneumonia ſuadet.

(*** HIPPOCRATES Lib. III. de morbis Sect. XVII. edit. LINDEN.

in caſu parum ad vomitum promovendum eſt ſuperbibendum. Hac ratione oxymel ſquilliticum ſæpius admodum eſt utile & ejus virtutes in morbis aſthmaticis levandis ſatis ſunt notæ: quod convenienti doſi datum non leniter ſolum vomitum excitat, ſed quoque eximium refrigerans, attenuans, ſalutare eccoproticum ac diureticum eſt optimum: quod procul dubio oxymelle ſimplici multum præſtat, & cum oleoſis emollientibus medicamentis ita commiſceri poterit, ut maxime ſalutare & mitius fiat exſcreans. — Quando humidiora, demulcentia & lubricantia indicantur medicamenta, conſuetus ſpermatis ceti linctus, oleum amygdalarum dulcium, vel oleum lini frigide expreſſum cum althææ, papaveris erratici ſyrupo diacodio vel ſimilia indicationi reſpondent. — Quando vero oleoſa diſplicent, ſeminum cydoniorum aut ſeminis lini mucilago cum rob ſambuci, aut ribeſiorum nigrorum, vel cum eorum aut papaveris ſyrupo admodum ſalutaris eſt & grata. — Nitrum refrigerans iſtud, valdeque neceſſarium attenuans quam commodiſſime harum compoſitionum cuidam additur, & fortaſſe camphora hac methodo data, minime eſt nauſeoſa. — Cura vero habenda eſt maxima, ne fortiora in peripneumoniarum principiis exhibeantur exſcreantia, donec convenienti ſanguinis detractione cæteriſque ſanguinis impetus & febris ſint mitigata; alias inflammationem & ſuffocationis augebunt periculum, atque id, quod ad rejectionem erat præparatum, ipſo in effectu impediunt: materia enim antea coquenda quam exſcreanda eſt. — Sic quoque in uſu talium exſcreantium, qualia ſunt oxymel ſquilliticum, oleoſa medicamenta, mix-

tiuræ

turæ gummoſæ & decocta pectoralia obſervandum eſt, ne eis inſignis alvi excitetur purgatio, quæ certiſſime excreationem ſupprimit, indeque vita periclitetur æger.

Etſi libera materiæ coctæ exſcreatio in peripneumoniarum & pleuropneumoniarum curatione maximé ſit ſalutaris, eaque ſemper adjuvanda ſit, quædam tamen exſcreationis ſpecies peſſimi ſunt ominis. — Id præcipue admodum malum eſt ſignum, ſi multum ſanguinis ſinceri floridi aut ſpumoſi rejicitur, atque ita quoque iſtud pronunciaverunt HIPPOCRATES & ARETÆUS; licet uterque materiam coctam, quæ ſanguine tincta exſcreatur, valde extollat. Ille condemnat *πτύελον λίην αἱματῶδες*, (*) hic *δίαιμον αὐθηρὸν σφόδρα*; quid? quod ARETÆUS *ἐστὶ*, inquit, *τὸ δίαιμον τῶν ἄλλων κάκιον* (**), egoque ipſorum ſententiis, ob rationem ſupra allatam, ſubſcribo; ſanguis enim iſte recens, ſpumoſus ex arteriarum ruptura in pulmonibus, non vero ab obſtructionis inflammatoriæ reſolutione provenit. Si quando vero in pulmonibus diſrumpantur arteriæ, ſanguis in bronchiorum cava effunditur, idque nonnunquam tanta copia, ut, niſi mox rejiciatur, ſubitaneam afferat ſuffocationem: ſed more magis conſueto is in pulmonum cellulis hæret, atque interdum in intimis pulmonum receſſibus diſrumpuntur vaſa, quorum quidem ſanguinis recentis & floridi pars cito, exſpui poteſt, major vero in ultimis ramis & cellularibus bronchiorum interſtitiis remanere ſolet, quæ pulmones obſtruit, vaſa ſanguifera vicina comprimit, tandem

(*) Coac. Prænot. 17. Lib. II. Cap. XVI. de Pleuritide, ex edit. DURETI.
(**) Cap. de Pulmonaria.

dem putreſcit & omnia corrodit: Hinc ſubitanea ſuffocatio, vomica periculoſa, vel gangræna ſtatim ſæpius ſubſequuntur. — Itaque materia hæc extra vaſa hærens partim quidem ſub saniei cruentæ; partim ſub lividæ & nigræ concretionis forma exſcreari poteſt, hoc tamen plerumque tanta cum difficultate & tuſſi adeo violenta fieri ſolet, ut ipſa profuſio ex vaſis augeatur: hæc vero generatim adeo imperfecta fiunt, ut plurimum in pulmonibus remaneat & effectus edat peſſimos: Quam ob cauſam HIPPOCRATES (*) talem exſcreationis ſpeciem pronunciat periculoſiſſimam: & hoc profecto valde conſuetum deſtructionis imminentis aut quoque jam effectæ eſt ſignum. — Ante aliquot annos me materiam in fine peripneumoniæ ab aliquo viro, nomine CLARK, navis mercatoriæ hujus civitatis gubernatore exſcreatam vidiſſe, reminiſcor, quæ accurate ſplenis cocti fruſtulis vel potius ſpongiæ erat ſimilis: morbi die decimo nono moriebatur. Quæ BAGLIVII (**) prognoſtica ex DODONÆO deſumpto reſpondent: *qui ſpuunt ſanguinem nigrum poroſum (***) ad inſtar ſpongiæ, iis pars aliqua ſphacelo correpta eſt in pulmone & omnes pereunt:*

Itaque ut primum talis ſanguinis floridi apparet exſcreatio, mox talem ſanguinis quantitatem, qualem ægroti vires permittunt, emittere jubeo: ut nimis rapidus ſanguinis motus compeſcatur, inflammatio minuatur, & quantum fieri poteſt, major ſanguinis in pulmonum veſiculas & cellulas avertatur profuſio, quæ ibidem infini-

ta

(*) Prognoſtic. — Coac. Prænot. 45. Cap. de Pleuritide, ex edit. DURETI.

(**) Vid. BAGLIVII Opera Lugduni 1710. 4to p. 87.

(***) Αἵματος θρόμβους μεγάνας. HIPPOCRATES Lib. III. de Morbis Sect. XIX. edit. LINDEN.

ta excitat mala.—Quod ſi hæmoptyſis continuat, ſanguinis miſſio ex ſaphæna valde utilis deprehenditur. — Præter hanc vero, ſi inſignior occurrit hæmoptyſis, emulſiones refrigerantes, nitroſa, demulcentia, mucilaginoſa medicamenta, acida vegetabilia & mineralia quoque requiruntur: decoctum papaveris rubri, bardanæ & ficuum cum elixirio vitrioli acidulum redditum egregium his in caſibus exhibet potum; — atque ut tuſſis violentia diacodio, linctu tenuiore aut ſimili aliquo mitigetur, navanda eſt opera. — Ego vero adſtringentia fortiora & largas opiatorum doſes, prorſus improbo, cum ſæpiſſime, eorum imprudentem uſum in tali rerum ratione magnam orthopnœam & terribilia atuliſſe ſymptomata, cognoverim: etenim ſanguis extra vaſa hærens aliquando exſcreari debet, aut nunquam convaleſcit æger; quod vero ſine majore vel minore tuſſi, qua is evocatur, fieri nequit. — Poſt talem peripneumoniæ ſpeciem admodum inſignia acceſſiſſe apoſtemata, aliquoties vidi, ubi per plures dies, immo per plures hebdomadas febri ſupervixit æger.

Licet plerumque in febribus pulmonicis morboſum prævaleat *viſcidum*, non paucæ tamen occurrunt, ubi acris præ aliis dominetur *tenuitas*. — Atque quemadmodum in ophthalmiis interdum ut gluten, adeo craſſum, interdum ut aquam, adeo tenuem & ut lixivium, adeo acrem materiæ obſervamus defluxum, ipſam genarum cutem, prouti deſtillat, corrodentem; ſic materia in nonnullis peripneumoniis exſcreata ſumme tenuis & cruda ac ejus defluxus adeo eſt acer, ut tracheam cæteraque cute privet, atque tuſſim perpetuam valdeque violentam excitet.

Humo-

Humores tenues, acres in febribus catarrhalibus haud raro ſymptomata peripneumonica generant, cum conſtantem irritationem & pulmonum agitationem efficiant; atque pari ratione non parva mala a violentioribus oboriuntur concuſſionibus, frequentiore excitatis ſternutatione, quæ tales acres plerumque comitatur catarrhos, interdum adeo virulentos, ut nares inflammet & ipſis in labiis puſtulas excitet. — Magnus medicinæ parens in admirandis prognoſticis id valde periculoſum pronunciavit, ſi peripneumonicos morbos præcedunt aut eis ſuperveniunt catarrhi & ſternutatio. — Dolores ſeveros peripneumonicos poſtquam per inſigne temporis ſpatium prorſus ceſſaverunt, ſternutationis impetu mox iterum excitatos fuiſſe, aliquando vidi.

In tali *peripneumonia catarrhali*, ut ita dicam, non magna ſanguinis requiritur detractio; interim tamen in principio nonnihil ſanguinis eſt detrahendum, ut preſens ad inflammationem proclivitas minuatur & futura ſymptomata mala præcaveantur. Sic quoque veſicatoria citius ſunt applicanda, ut defluxus materiæ acris avertatur & evocetur; atque tunc quoque lenia conveniunt purgantia, ut ſeroſa eliminetur colluvies. In ſcriptis HIPPOCRATIS (*) auctor libri ſecundi de morbis in pulmonum eryſipelate purgare ſuadet, quando exſcreatio copioſa & tenuis eſt: atque ego ſæpius in his peripneumoniis catarrhalibus purgantium bonum expertus ſum effectum, licet ea in illis, quas materiæ coctæ laudabilis comitatur exſcreatio, omnino noceant. Potus multo minor in his peripneumoniis, quam in ſpecie ſicca requiritur; nihilo minus ptiſana aliqua pectoralis demulcens ad

(*) Sect. LIII. edit. LINDEN.

ad humorum acrimoniam temperandam conducit, & calida cum quibuſdam mitioribus diaphoreticis eſt ſumenda ad ſudores laudabiles facilius promovendos: quo in caſu caffee & gratus & conveniens eſt potus. Pari ratione lenia quædam opiata, qualia ſunt diacodium aut elixirium aſthmaticum ad tuſſim mitigandam non larga, ſed ſæpius repetita doſi requiruntur; cum quibus conjungi poſſunt ſperma ceti, myrrha, olibanum & camphora, utpote quæ tenues catarrhales humores reddunt ſpiſſiores & eorum imminuunt irritationem; quæ, ut HIPPOCRATES (*) ait, peripneumonias cæteraque excitat, quæ ut primum materiæ defluxus fit craſſior & coctus apparet, ſubito ceſſant.

Ominis vero multo pejoris hac tenui eſt livida iſta, glutinoſa & ſaniei ſimilis, frequenter vini rubri fecibus æqualis, interdum nigrior, & interdum valde fœtens exſcreatio; hæc enim vel a pulmonum ſtatu gangrænoſo, vel ſanguinis craſis per majorem acrimoniam deſtructione pendet; qui caſus ſæpe in hominibus ſcorbuto graviter affectis obvenit: cujus rei plura haud ita pridem inter nautas poſt longos curſus exploratorios & expeditiones India in occidentali nobis occurrebant exempla. — Ex hominibus tali peripneumonia laborantibus detractus ſanguis ſtatum ejus diſſolutum putridum monſtrabat; craſſamentum erat laxum & tenue, ſerum turbidum & rubicundum: lingua nigra & dentes craſſis obſcuriſque ſordibus obducti, reſpiratio infenſa & urina colore obſcuriore aut nigro tincta ſœtidaque, quæ in genere obſervabantur, magnam humorum indicabant corruptionem; & maculæ nigræ aut dyſenteria cruen-

(*) De veteri medicina, Sect. XXXIII. edit. LINDEN.

cruenta, quæ ſæpius quinto, ſexto aut ſeptimo apparebant die, multo magis hoc comprobabant. — Quantum pulſus & ægroti vires poſt ſanguinis detractionem talibus in caſibus diminuerentur, mirum erat: interdum non ſine maximo metu & ſollicitudine magnam anxietatem, animi deliquium, ſudorem frigidum & pulſum intermittentem tardum citius ſuccedentem obſervabam, licet febris ipſius in principio hoc fieret & pulſus antea fortis & acceleratus videretur. — Hæc quoque in pleuroperipneumoniis, ubi dolor lateris vehemens, oppreſſio pectoris magna & tuſſis inſignis erant, vidi; alias enim illud, quod peripneumoniam adeſſe oſtendebat, merum febris malignæ fuiſſe ſymptoma, credere quis potuiſſet. — Quas peripneumonias putridas alteram ſanguinis emiſſionem nunquam bono cum ſucceſſu, immo raro primam pertuliſſe, niſi pulſus adeſſet fortis & tenſus pro certo habeo. (*) — Quando ego, num ſanguinem detraherem, dubius hærebam, ſcarificationem & cucurbitulas interdum cum ſucceſſu applicabam, etſi uno alterove in caſu effuſio ex cute conciſa valde erat profuſa, neque prius prorſus cohiberi poterat, quam exſpirabat æger.

Itaque hic quædam putredini reſiſtentia medicamenta pectoralia requiruntur, decoctum ex ficubus, bardana & papavere rubro cum ſucco aurantiorum Hiſpanienſium vel limonum primum & poſtea Gas ſulphuris, aut elixirio vitrioli bene acidulatum redditum valde convenit. — Nitrum, olibanum, myrrha, ſulphuris flores, & bolus cum conſerva lujulæ, rob ſambuci, aut ribeſiorum, mucilagine ſeminum cydoniorum & ſyrupo rubi idæi

dari

(*) Vid. Obſerv. noſtr. de aere & morb. epidem. menſe *Jan.* & *Febr.* 1746.

dari poſſunt: vini acetum camphora ſaturatum cum ſambuci & rubi ſyrupo egregium quoque eſt medicamentum; quorum cochlear unum vel alterum interdum eſt exhibendum. Vinum pomaceum bonæ notæ, vinum & aqua cum ſucco aurantiorum Hiſpanienſium, vel limonum calide hauſtum, exſcreationem, ſi deficit, promovet & acrimoniam alcalinam corrigit. —Roſarum tinctura cum floribus papaveris rubri inordinatum tenuis cruenti ichoris defluxum temperat; nihilo minus ſæpius oxymel ſquilliticum & aqua cinnamom. fort. ad materiam evocandam neceſſaria ſunt, ſi in trachea ſtridor inſignis & ſpirandi difficultas, magnam in pulmonibus adeſſe quantitatem arguunt; at enim vero ſæpe tuſſis importunitas & violentia elixirio aſthmatico, diacodio, cæteriſque eſt compeſcenda. —Sagu, panata, cornu cervi gelatina, poma toſta, decocti hordei cremor, aut avena decorticata cum pauco vino & limonum ſucco parca copia ſed ſæpius data ad ægrotum ſuſtinendum ſunt neceſſaria: fraga, rubi fructus, ribeſia & ceraſa interdum cum ſucceſſu concedi poſſunt. Neque hæc medendi methodus nova eſt; nam in pleuritidum curatione anni temporis fructus, ut ficus, cæteraque ſuadet ARETÆUS (*) atque idem, in alimentis, recte ait, (**) medicamenta ponentur, quin immo in alimentis medicamenta ſunt. —In parte diætetica fui verboſior; nam ut breviter me expediam, in eo, ut convenienti ratione vires ægroti conſerventur, & tempus prorogetur, donec humorum acrimonia correcta & pulmones a putrida exonerati ſint

(*) de curatione pleuritidis.

(**) Ἐν τροφῇ γὰρ κέεσεται τά φάρμακα, ἀτὰρ καὶ τὰ φάρμακα ἐν τροφῇ. ibid.

colluvie, cardo rei verti videtur; in fine ad minimum omnia a bene præſcripta dependent diæta; ubi panis toſtus & vinum rubrum portugalenſe aqua dilutum, cocta cum corticibus aurantiorum ſevilianorum, macis aut cinnamomo beneque acidulata miram præſtant utilitatem. — Raro hoc in caſu ſalutaria inveni veſicatoria, ſæpius profecto noxia, cum magis arrodant & magnam tenuis cruentæ materiæ emittant copiam & interdum partium excitent deſtructionem.

Exſcreatio tenuis flava, croco quaſi tincta aliud febrium pneumonicarum malum eſt ſymptoma; cum vel lentorem pulmonum inflammatorium arteriis tenaciter inhærere, atque nihil, quam ſeroſam & tenuiorem ſanguinis partem per illas tranſprimi, indicet, vel, totam ſanguinis maſſam a diſſolutione proxime abeſſe, illiuſque partes bilioſas maxime exacerbari, omniaque in univerſalem ruere putredinem, demonſtret. — In febribus etiam valde putridis lac, ſudor, cæteraque luteo tinguntur colore, atque ſanguis ſtagnans putredine & diſſolutione hoc ſemper obtinet phænomenon. — HIPPOCRATES quidem iſtam exſcreationem, ubi ſaliva cum flava iſta materia magis eſt mixta (*) (aut mixtionem flavæ & albæ intimiorem) laudat; tunc tamen ſinceram flavam [ſalivam ξανδὸν ἄκρητον (**) periculoſum pronunciat; atque hoc ita eſſe conſtanter reperitur, & plerumque cum tuſſi conjungitur violenta ac maxima exſcreatur cum difficultate: ſiquidem eam haud raro excipit hæmoptyſis ex vaſis diſruptis exorta; & hoc inprimis incidit, quando lingua

(*) Τὸ ξανθὸν ξυμμεμιγμένον ἰσχυρῶς τῷ πτυέλῳ. Prognoſtic. Sect. XIII. edit. LINDEN.
(**) Ibid.

gua valde rubra, arida, impura & ſplendens cum puſtularum lividarum ſpecie in radice apparet (*); quod, in tranſitu ſit dictum, malum omnibus in febrium ſpeciebus eſt ſymptoma. — Unde tenuis iſta bilioſa caſus ſupra propoſiti exſcreatio proveniat, in curatione ſollicite eſt diſtinguendum, quam ob rationem pulſum, ſanguinis ſtatum, & corporis conſtitutionem attente conſiderare oportet: variis enim a cauſis admodum variæ oboriri ſolent indicationes.

Hanc de exſcreatione in febribus pulmonicis conſiderationem cum ſequentibus magni HIPPOCRATIS finiam obſervationibus. —„ Materia in „ peripneumonia & pleuritide cito & facile rejici „ debet; color ejus flavus cum ſaliva bene com„ mixtus, vel materia cocta flava aliquo quidem, „ ſed non nimio ſit tincta ſanguine. — Si quando „ hoc in morbi principio incidit, id valde ſalutare „ eſt; non vero ita, ſi uſque ad ſeptimum diem „ retardatur. — Si magna adeſſe videtur materiæ „ quantitas & ſtridor in pectore auditur, nihil ta„ men exſcreatur, peſſimum eſt. Omni in caſu „ quidem, ſi nihil exſpuitur, periculum imminet; „ ſi vero illud, quod exſcreatur, valde viſcidum, „ parcum, globuloſum vel ſpongioſum eſt, nocet. „ Sputum ſincerum, flavum, minus mixtum ma„ lum eſt; ſi valde cruentum aut lividum, pericu„ loſum; inprimis ſi hoc phænomenon citius ac„ cedit; illud vero, quod prorſus nigrum, omnium „ eſt peſſimum: ſic quoque malum ſignum eſt, ſi „ viride (*ἰώδες*). Quicquid magna cum difficulta„ te, tuſſi violenta nulloque cum doloris & op-

M 2 „ pre-

(*) *Πομφόγυξ ὑποπέγιος* in lingua periculoſum & ſanguinis ſputo præcedere, pronunciat HIPPOCRATES, Coac. Pranot. 6. Cap. de pleuritide.

„ preſſionis levamine exſcreatur, caſum eſſe ma„ lum, demonſtrat." Videantur Coacæ prænotiones 13. 14. 15. 17. 18. edit. DURETI Cap. de pleuritide, comparatæ cum prognoſticis HIPPOCRATIS; qui, exſcreatio cocta, ait, puri bono, (*) non tenui & glutinoſo, neque magis flavo, cruento, viridi aut livido eſt ſimilis: in quolibet profecto abſceſſu aut ulcere tales colores peſſimi ſunt omnis, cum gradum acrimoniæ denotent majorem.

Quod ſi autem inflammatoriæ pulmonum obſtructionis reſolutio aut coctio accidit, non pars ſolum in bronchiorum cava impellitur & ita exſcreatur, ſed pars quoque in venas adhærentes tranſit, indeque cum reliquo ſanguine ope communis circuitus commovetur, donec tandem partim per urinam craſſam, turbidam larga quantitate eliminetur, in qua id, quod deſidit, copioſum rubrum vel flavum eſt, & in morbis peripneumonicis ſemper bona prænunciat, partim quoque per bilioſas alvi dejectiones evacuetur. — Quam craſſam, ſubſidentem, rubicundam urinam in pleuritide ſecurum eſſe ſignum (**) eamque, ſi craſſa & copioſa ſit, auferre peripneumonias (***) obſervavit HIPPOCRATES. — Qui coctam hanc urinam ita deſcribit, ut habeat ὑποςάσιας ὑπερύθρυς ὄχυῖον ὄρυϑος, (****) hoc eſt, pallidi lateritii ſedimenti ſpecies, ut dicitur. — Aſt recte quoque annotat, ſi iſta ex craſſa circa quartum diem tenuis ſit, ſymptoma eſſe peſſimum; (†) — atque profecto ita omni

(*) Πέπονα δὲ ἐςὶ τὰ μὲν πτύελα, ὁκόταν γένηται ὅμια τῷ πύῳ. De victu acut. Sect. LIII. edit. LINDEN.
(**) Coac. Prænot. 586. edit. FOESII.
(***) De victu acut. Sect. LIII. edit. LINDEN.
(****) Ibid.
(†) Coac. Prænot. 53. Cap. de pleuritide. — 20. Cap. de urinis, edit. DURETI.

omni morbi tempore eſt; quam diu febris inſignis continuat.

Nihil urinam & alvum magis efficaciter promovet, quàm clyſmata emollientia, laxativa, cum ea fomenti ſpecies & omnibus abdominis partibus lene ſint ſtimulans, atque non urinam ſolum & alvum; ſed flatus quoque evacuent, quibus ſæpe abdomen & diaphragma diſtendentibus reſpiratio redditur difficilior. — Siquidem ſi craſſa excrementa inferiorem aortæ partem & ſuperiorem iliacarum comprimunt, nimium ſanguinis verſus ſuperiora in primis verſus pectus regurgitat, quod inflammationem, oppreſſionem, cæteraque auget. — Quamobrem HIPPOCRATES (*) tribus primis diebus, præcipue in febribus peripneumonicis, clyſmata ſuadet refrigerantia; (**) atque ARETÆUS inquit, ſi haud commode ſanguinem detrahere poſſumus, acre quibuſdam in caſibus injiciendum eſt clyſma: (***) — Interim omni cura in id incumbendum eſt, ne profuſior excitetur diarrhœa, quæ ſine eo, ut morbum levet, exſcreationem ſupprimet; atque hoc reſpectu, malum, magnum ait medicinæ oraculum, (****) eſt ſymptoma quando id pleuritide & peripneumonia affectis contingit; quoniam, ſi magnus humorum defluxus adeſt verſus inferiora, ſuperiora fiunt arida, ſputum ceſſat, & moritur æger; (†) ita ut alvus non nimis adſtricta ſit, quod febrim augebit, neque nimis laxa; ne ſputum & vires ægroti deficiant. (††) — HIPPOCRATI hæc eſt medicina, eam-

(*) De affectu Sect. VIII. edit. LINDEN.
(**) De victu acut. Sect. LII. edit. ead.
(***) De curatione pulmonar.
(****) HIPPOCRATES Aphoriſm. 16. Sect. I.
(†) Lib. III. de morbis, Sect. XVII. edit. LINDEN.
(††) V. d. Obſerv. de aere & morb. epidem.

eamque eſſe tam rationalem, quam ullam aliam recentiorum pro certo habeo. — Sed pergamus.

Interdum ad partes inferiores critice transfertur materia morboſa, phlegmonen, abſceſſus, eryſipelatoſos vel œdematoſos tumores, ulcera cæteraque excitans; in primis in hominibus olim inflatis aut ulceratis cruribus affectis, de quibus, in fine morborum peripneumonicorum maximo cum pectoris levamine intumeſcere iterum ſæpiuſque exulcerari, notum eſt. Pulmones ſubito affici, ſi ulcera in pedibus ſicca fiunt, res eſt ſatis cognita; ſic quoque hydropici harum partium tumores tibialibus interſtrictis, faſcjis cæteriſque repreſſi ſtatim affectos producunt aſthamaticos: quæ cuncta conſenſum iſtum naturalem pectus inter & partes inferiores atque mutuo morbis affici poſſe, ſatis probant. — Qua de re in morbis ſeveris pulmonum ut humores balneis tepidis, veſicatoriis cæteriſque ad pedes deriventur, rationi conſentaneum eſſe videtur; & re ipſa profecto hoc bono cum ſucceſſu fuit adhibitum. Quam crebro, podagræ ad pulmones metaſtaſin acrioribus applicatis cataplaſmatibus revulſione ad pedes facta ſubito fuiſſe relevatam, deprehendimus? ubi periculum imminet magnum, omnia ſunt tentanda. — Quando veſicatoria pedibus in pulmonum morbis applicata, ſeverius ſuppurant, plerumque magnum afferunt levamen; ſæpe vero ſanantur difficillime. — Quod in primis annis 1740. 1741. 1746. 1747. (**) notatu erat dignum. — Ego vero tunc, ſi veſicatoriorum exulceratorum ſubito ſupprimebatur evacuatio, non tuſſim ſolum atque ſpirandi difficultatem revertiſſe, ſed quoque interdum inſignes alvi dejectiones, & interdum profuſiores mox

(**) Vid. Obſerv. de aere & morb. epidem.

mox acceſſiſſe ſudores, obſervavi: ita ut non paucis in caſibus vel dolore & ingenti veſicatoriorum evacuatione proſterneretur, vel diarrhœa aut ſudore colliquativo deperderetur æger: quam ſcenam mortiferam frequenter terminabant aphtæ terribiles. — Quæ probabiliter ab acrimonia lymphæ & ſeri oriebantur majori, quæ febre prægreſſa quaſi in gelatinam mutata & nunc diſſoluta in putridi ichoris ſpeciem convertebantur, (quando enim ſerum calore concreſcit, ſtatus ejus proximus eſt liquamen putridum, vel diſſolutio): neque hoc tantum dejectionibus & ſudoribus profuſioribus eliminatur, ſed & aliis viis pari ratione ſibi exitum parat, prouti id fieri ſolet urina impura, acri, turbida, eruptionibus puſtularum, tumoribus vehementiſſime dolentibus, veſicis aqueis excruciantibus & corrodentibus variis corporis in partibus, quales ſunt axillæ, brachia, dorſum, pectus cæteraque. — Ex hujus generis obſervationibus veteres, (qui ſemper ſollicite in id incumbebant, ut naturam ſequerentur, ejuſque conaminibus ſuccurrerent) acria epithemata, ut ſal, ſinapi cæteraque pectori, dorſo & axillis in pulmonum affectibus applicaſſe videntur. — Magnum inter pulmones & cutim intercedere conſenſum res eſt veriſſima, prouti ex ſcabie, variolis, morbillis cæteriſque retropreſſis manifeſtum eſt, quæ ſtatim pectus affligunt. — Quam ob rem convenienti ſanguinis copia detracta his partibus veſicatoria in primis verſus febrium peripneumonicarum declinationem applicare, methodus medendi videtur eſſe rationalis.

Quamquam varias has ſuæ relevandæ methodos in morbis peripneumonicis eligit natura, ejus tamen proprium & conſuetum conamen eſt

M 4 ex:

exſcreatio; & donec hæc bene procedat, ejus conamen quidem juvare, nunquam vero interrumpere debemus; quod violenta purgatio, ſudor & ſimilia procul dubio efficiunt: — Ita ut reliqua iſta antea propoſita, tantummodo naturæ diverticula eſſe videantur, & tunc materia morboſa tantum fortius per ea tranſprimatur, quando via regia vel clauſa eſt vel valde moleſta.

CAPUT III.

De peripneumonia notha.

AD inflammatoriæ vel veræ peripneumoniæ naturam ejuſque curationem omnia ſupra relata pertinent; deprehenditur tamen morbus SYDHENAMIO præcipue auctoribuſque recentioribus nomine peripneumoniæ nothæ annotatus, in quo tamen, licet pectoris oppreſſio gravior, ſpirandi difficultas major, & tuſſis valde importuna atque nonnunquam violenta adſit, (quæ cuncta pulmones inſigniter eſſe affectos ſatis denotant) febris tamen parva & æſtus exiguus nonnunquam vix percipi poteſt, pulſus aut celer, debilis & mollis, aut tardus & oppreſſus, nunquam durus & tenſus eſt. — Ita ut, cum hic morbus valde differentia & fere prorſus contraria ſymptomata ratione illorum, quæ certo reſpectu in peripneumonia vera adſunt, monſtret; rationi conſentaneum ſit, ut aſſumamus, ea a valde differentibus cauſis excitari, valdeque differentem medendi methodum requirere. — Atque re vera videmus, peripneumoniam ſpuriam plerumque ſenes

nes & phlegmaticos, debiles & laxos, obeſos & craſſos invadere, eamque magis tempeſtate humida, impura, nebuloſa & hyemis tempore graſſari; cum e contrario peripneumonia vera generatim in robuſtos, vegetos, & agiles irruat & creberrime tempeſtate frigida ſicca, aquilone durante & barometro altam ſtationem tenente occurrat. — Ergo bini hi morbi tantum inter ſe, quantum febris ardens a lenta & nervoſa, differre videntur, aut tantum, quantum angina inflammatoria ab illa, quæ ſola catarrhalis eſt, aut a mero excitatur ſeroſo defluxu, differt. — Atque acris ejuſmodi ſeroſa colluvies ad pulmones pervenire, in illis & inter ejus intimos receſſus & cava veſicularum cellularumque diffundi, magnam oppreſſionem & aliquam in arteriis pulmonicis & bronchialibus obſtructionem efficere & ita ordinatum ſanguinis per pulmones circuitum impedire poteſt. Cæterum & rubor a calore ortus crebrior, pulſus celerior & inæqualis, anxietas & pectoris gravitas, dolor & vertigo capitis, linguæ impuritas, cæteraque habitum quemdam febrilem ſatis indicant.

Ut brevibus omnia complectar, morbus hic a lentore ſanguinis pituitoſo & lymphæ ſerique conditione glutinoſa ortum ſuum trahere videtur; quæ ob perſpirationem ſuppreſſam cæteraque multum abundantia & æſtu febrili aut ſubitanea humorum agitatione commota in pulmones largius, quam ut per illa tranſire queant, impelluntur, (nam viſcidi humores nunquam tam libere per arteriarum tranſeunt extrema, quam tenuiores & fluidiores); unde ii magis magiſque coacervati, magis etiam magiſque pulmonum vaſa obſtruunt, donec tandem ſtagnatio ſequatur mortifera & ipſa

acce-

accedat mors. — Quod exemplis ſingulari ratione illuſtratum videmus, quando artificialem, ut ita loquar, excitamus peripneumoniam. Scilicet virgo chloroſi leucophlegmatica laborans, (ubi talis lenta viſcida pituita, qualem ſupra propoſui, præ reliquis dominatur) inſigni & diu continuato exercitio agitetur, pulmones ejus tandem repleti ita aggravantur, ut ingente ſpirandi difficultate, immo plenaria quoque corripiatur ſuffocatione. — Quod re vera aliquoties accidit, quando exercitium nimium fuit auctum. — Sic quoque mentio eſſet facienda, talem ſanguinis atque humorum lentorem pituitoſum non tantam ſpirituum animalium præbere quantitatem, quanta ad vaſa impellenda ſufficiat, ut juſtam ſanguinis promoveant circulationem.

Cum vero varii ſtatus intermedii inter peripneumoniam violentam inflammatoriam & hanc nunc propoſitam deprehendantur, nulla fundata & diſtincta dari poteſt medendi methodus; quoniam affectus peripneumonici mox pertractandi, nonnunquam magis, nonnunquam minus ad ſtatum inclinare poſſunt inflammatorium.

Nam morbus eſt œconomiæ animalis perturbatio, quæ his vel illis peculiaribus diſtinguitur ſymptomatibus & hoc vel illo nuncupatur nomine; quilibet vero morbus peculiaris in quolibet homine individuo a medico ei medente non ratione nominis, ſed ratione naturæ, cauſarum & ſymptomatum peculiaris morbi in peculiari quodam homine conſiderandus eſt. — Itaque ſi magnam pectoris oppreſſionem & ægritudinem, ſpirandi difficultatem, tuſſim, cæteraque cum pleno, forti, celeri aut valde tenſo & duro aliquo pulſu in homine forti & vigente invenio,

hæc

hæc ſufficiunt, ut multo liberius & crebrius ſanguinem emittam, quam ſi oppreſſionem, tuſſim cæteraque non adeo rapidus & fortis aut celer & tenſus comitatur pulſus: ſi in primis homini affecto debilem, laxam vel phlegmaticam eſſe conſtitutionem antea cognovi.

Ita ut, ſi pulſus debilis & lentus, æſtus minor vel naturali non multo major, urina pallida & cruda cæteraque ſic occurrant, admodum cautus in ægroti pulmonici ſanguine detrahendo eſſe debeam, quamquam pondus & oppreſſio pectoris valde urgere poſſint. — Atque, ſi fortaſſe homini peripneumonia ſpuria laboranti detrahitur ſanguis, is aut laxus, tenuis & floridus, aut, quod more magis conſueto fieri ſolet, obſcure lividus, neque corio craſſo & viſcido, ut in conſuetis pulmonum inflammationibus, obtectus apparet. — Ac, ægrotum ſubito proſterni, multoque fieri debiliorem poſt talem evacuationem, notatu eſt dignum, quamquam is tunc temporis quod ad anxietatem & præcordiorum pondus relevari videatur: cum enim ſanguinis detractio hoc ſpeciatim in caſu naturæ vires debilitet, & actionem ſolidorum & fluidorum infringat; inde lentor morboſus, continens morbi cauſa, augetur. — Qua de re SYDENHAM ipſe ita erat perſuaſus, ut peculiari admoneret ratione, ne ſanguinis in peripneumonia notha repetatur detractio, in hominibus ſpeciatim, quibus habitus corporis ſit craſſior & qui ætatis florem ſuperaverint (*): etſi ipſe credebat, ſe morbi materiam tam efficaciter per venæ inciſionem, quam per tracheam ipſam evacuare poſſe.

(*) Vid. SYDENHAMI Opera Lugd. Batav. 1741. Cap. de peripneumonia notha.

ſe. (*) — Præter ea febres conſuetas catarrhales, quæ ſeroſa colluvie abundant, multoque minus peripneumoniam notham, quæ viſcida cumulata eſt pituita, ſanguinis largiorem haud perferre detractionem, inter omnes conſtat.

Quemadmodum vero altera ex parte ſanguinis detractione his in morbis, ſic ex altera medicamentis calidioribus & ſtimulantibus in morbi principiis maxima cum cautione utendum eſt; alias non pectoris oppreſſio ſolum multum augetur, ſed facile quoque ad coma excitatur proclivitas. Lentoris enim morboſi ad cerebri vaſa nimia impelli copia & ibidem ſic ut in pulmonibus acervari poteſt; atque hoc ita fieri, ex vertigine, dolore & gravitate capitis, quæ plerumque cum peripneumonia conjuncta ſunt, manifeſtum eſt: cum enim liberior humorum deſcenſus ex capite nimia pulmonum repletione & in illis ſtagnatione inſigniter impediatur; inde cordis ventriculus dexter ſanguinem non ſatis propellere, neque alium libere recipere poteſt.

Itaque in hujus generis morborum curatione magna cum circumſpectione agere debemus, utpote qui ſemper periculoſi & ſæpius mortiferi ſunt; idque eo magis, cum ſymptomata in principio mitiora tam ægrotum, quam minus cautum vel minus expertum medicum facile in neglectum aut perverſam curandi rationem inducere queant. Ego quidem aliquoties vidi, eam pro mero hypochondriaco fuiſſe aſſumtam affectu, ubi vero paucarum horarum ſpatium errorem commonſtravit mortiferum. — Aſt, quando laborioſa & perpetua raucitas, magna anxietas & conſtans præcordiorum oppreſſio, comatis alicujus ſymptomata, extre-

mæ

(*) Ibid. Cap. de Pleuritide.

mæ corporis partes frigidæ, ungues & os obſcuri vel lividi coloris accedunt; niſi periculum imminens perſpicit, ægroto ſtupidior eſſe debet medicus.

Sanguinis vero majorem vel minorem in principio detrahendam eſſe copiam, in genere exiſtimo: ſed, ut SYDENHAM bene annotavit (*), operatione durante in lecto recumbat æger, qua ratione animi deliquium, alias haud difficulter accedens, averti poteſt. — Hoc enim non pondus ſolum nimium & vaſorum diſtentio imminuitur, ſed & potu tali & medicamentis, qualibus in ipſa curatione opus eſt, datur locus: quod vero ad emiſſionem ſanguinis repetendam pertinet, nos cautos eſſe & ſanguinis ſtatum, pulſus & ægroti vires antea bene conſiderare oportet, quam eam ſuademus. Quod procul dubio nonnunquam neceſſe eſt. — Sæpius in paroxyſmis aſthmaticis, ubi nulla obſervatur febris, ſanguinis detractionem repetere cogimur. — Sanguinis emiſſionem excipiant mitia attenuantia, ſaponacea medicamenta, tenuis, diluens detergens potus & veſicatoriorum applicatio: infuſum herbarum incidentium, detergentium, pectoralium, quales ſunt hedera terreſtris, hyſſopus, pulegium, liquiritia, aut tenue lactis ſerum ſinapinum melle dulcificatum & limonibus acre redditum, pro potu ordinario conveniunt. — Aliqua quidem hoc in morbo neceſſaria eſt dilutio, licet non tanta eſſe debeat, quanta in peripneumonia vera, neque profecto eam ſiti majore exigit natura; cum vero lentor hoc in morbo prævalens eo facilius calidis quibuſdam liquoribus aquoſis reſolvatur, quidam procul dubio conveniunt.

Cum

(*) Lib. cit. Cap. de peripneumonia notha.

Cum peripneumoniam notham plerumque crebriores vomendi conatus comitentur, id nobis rationem, hac via naturæ ſuccurrendum eſſe, ſatis dilucide demonſtrare exiſtimo; atque hoc reſpectu ſæpius, ſanguine aliquo antea detracto, bonum leniorum vomitoriorum ſum expertus effectum. — Oxymellis ſquilliti aut vini ipecacuanhæ cochlear unum vel alterum cum aliquo hauſtu ſeri lactis ſinapini aut ſimili ſufficiunt: cujuſque vero liquoris copia haud bibenda eſt largior. — Quibus non pituita ſolum lenta ex ventriculo & pulmonibus evocatur, ſed toto quoque vaſorum ſyſtemate concutiendo generalis humorum attenuatio & fluiditas promovetur, & alvi dejectio vel ſudor plerumque ſubſequitur.

Pleuritidum cæterorumque morborum inſignes curationes cum aqua antimonii benedicta, de quibus ſe jactat RULANDUS (*) aliique, a qualitate emetica maxime dependebant: & *pulvis Cartuſianorum* famoſus (**) aut *kermes mineralis* talem inſignem in pleuritide, peripneumoniis & aliis in pectus defluxionibus auctoritatem maxima ad minimum ex parte ob mitiorem, quem efficit, vomendi conatum nanciſcebantur. — In febribus procul dubio catarrhalibus & peripneumoniis pituitoſis *exoptatum* edidit effectum: aſt horum alterum in peripneumoniis inflammatoriis vel pleuritide, ſine prævia ſanguinis emiſſione exhibere, omnino imprudens, periculoſum & empiricum eſt.

Liceat mihi illius, quod ante aliquot annos pro-

(*) Vid. MART. RULANDI curat. empiric. paſſim.
(**) Vid. Memoires de l'academie rojale des ſciences, ann. 1720.

propoſui, hic mentionem facere, & quod hoc eſt, omnium quidem antimonii præparationum, quas unquam adhibui (& varias ſane adhibui) mea opinione optimam eſſe vinum benedictum, vel vitri antimonii infuſum cum vino. (*) — Cum hoc omnibus antimonii virtutibus ſit præditum, mirum eſt, cur aliud quærere velimus. Quo largiori doſi dato, ut forti emetico uti, & paucis guttulis, ut merum perſpirationem promovens exhibere poteris. — Quo vomitum excitare, alvum movere & ſudorem extricare valebis; — a decem ad quindecim vel viginti guttulas datum attenuans, alterans, diaphoreticum & diureticum eſt; paulo plures alvum leniter movent, &, largiorem doſin vomitum efficere majorem, fugit neminem: quæ plura num alia præſtare poteſt antimonii præparatio? Id enim hic in ſolutis principiis, ut loquuntur chemici, vel prope dixerim, effluviis, maxime attenuatum, & cum menſtruo intimius & convenientiſſime mixtum deprehenditur: quod per flexuoſos minutiſſimorum vaſorum mæandros tranſire illoſque afficere valet, nihilo tamen minus ſatis potenter magnum alimentarium ſtimulat canalem. — Vulgares ſolidæ antimonii præparationes vel meram præbent calcem inertem, vel in ſuis operationibus valde ſunt incertæ, nonnunquam valde fortes, nonnunquam diu in ventriculo & inteſtinis hærentes ſymptomata excitant pertinaciora; cum e contrario iſtud celeriter agat & celeriter quoque tranſeat. — Eſt iſtud profecto attenuans & aperiens mirabile, quod vix decimam partem calo-

(*) Vid. Obſerv. de aere & morb. epidem. Vol. I. p. 157. ubi *Eſſentia antimonii* nuncupatur. it. Obſerv. chemicæ & medicæ de antimonio. Tom. III. p. 127.

caloris ut ſalia alkalina volatilia excitat, atque plurimis in caſibus, in primis vero in morbis, de quibus nunc agimus, & tutius eſt, & efficacius. — Breviter hoc magis catholici meretur nomen, quam ullum aliud remediorum noſtrorum jactatorum, quæ in toto terrarum orbe magnis empiricis vel abjectiſſimis circumforaneis magna verborum pompa diffunduntur. — Id ſane peritis manibus exhibitum magnos edet effectus. — Medendi quorundam methodus meticuloſa, lenta, inſipida fere tam periculoſa eſt, quam aliorum temeraria nullaque ratione excuſanda empirica. Tempus & opportunitatem nunquam reparabilem ſæpius illi amittunt; dum hi temerario quodam impetu vos uno temporis momento ad inferos mittant.

Neque veſicatoria in peripneumonia notha ſunt negligenda, cum non minus ob proprietatem ſtimulantem & attenuantem, quam, quod colluviei morboſæ partem evocant, ſint ſalutaria: in principio largius quoddam nuchæ eſt applicandum, & cruribus aut femoribus impoſita, capiti ac pectori ſæpius afferunt levamen, quando aliæ ſpem noſtram fallunt methodi. — Cum vero hoc in morbo ſæpius incidat, ut membra torpeant & frigida reddantur, quod peſſimum eſt ſymptoma, ea prius bene ſunt fricanda, quam veſicatoria imponantur, atque tunc pannis *flanel* dictis involvenda, (quod, in tranſitu ſit dictum, in febribus lentis & nervoſis ſæpius requiritur;) hoc enim veſicatoriorum in veſica elevanda irritationem & evacuationem ſubſequentem magis promovet.

Si quando comatis cujuſdam ſymptomata & reſpiranti difficultas poſt ſanguinis emiſſionem re-

ma-

manent, majorem ſanguinis copiam, nuchæ axillarumque ſcarificatione & curbitularum applicatione detrahere poteris, ubi venæ ſectionem iterum tentare nolles; atque hoc mirum ſæpius exoptatumque edit effectum: in caſu valde periculoſo loco ſcarificato imponenda ſunt veſicatoria.

Alvi dejectiones frequentes hoc profecto in morbo ſunt ſalutares. Ut quolibet altero die poſt unam alteramque ſanguinis emiſſionem alvus ducatur, ſuadet SYDENHAM (*), hoc vero in utroque reſpectu nimium excedere, exiſtimo: licet enim ſanguinis detractio & alvi quoque purgatio in principiis neceſſariæ eſſe poſſint; illam tamen repetere rariſſime convenit, & hæc maxima cum cautione tentari debet, ſi in primis repetenda eſt. Nam in animi deliquium & ſudores frigidos cæteraque proclivis eſt æger, niſi convenientem in modum durante operatione ſuſtineatur; quod profecto facile effici poteſt; ut vero hæc præſtetur, in plurimis ſane talibus caſibus majora quam cereviſia ſecundaria, & avenæ decorticatæ juſculum requiruntur. — Harum binarum evacuationum reſpectu aliquid eſt obſervandum, quod hoc eſt: ſi ægrotus materiam coctam copioſam exſcreat, quod haud raro in hac quoque peripneumonia fieri ſolet, neque hæc neque illa convenit; ac laxantia clyſmata, vel mitiora eccoprotica ſola, ad minimum donec copioſa perdurat exſcreatio, ſunt danda; & tenue lactis ſerum ſinapinum, hydromel vel pectorale decoctum ſimul cum parca vini albi mitis quantitate exhiberi debent, ut ea promoveatur. — Variis in locis hydromel & vinum dulce ac aquoſum in pleuritide & peripneumonia

(*) L. c. Cap. de peripneumonia notha.

ad exſcreationem promovendam ſuadet HIPPOCRATES. (*) Quo in caſu diuretica, ſi nobis, ut illis ſuccurrere poſſimus, contingit, admodum ſunt ſalutaria; quando in primis prævidemus; nos urinam turbidam, hypoſtaticam promovere poſſe: re vera autem hoc in morbo parum ab urina tam quoad criſin, quam quoad prognoſin dependere videtur, præter id, quod urina tenuis, pallida vel *limpida* ſemper mala ſit in pulmonum morbis.

Nitrum, ſperma ceti, cinabaris, crocus, pulvis contrayervæ, camphora, ſpiritus volatilis oleoſus; lac ammonicarum; & oxymel ſquilliticum, decocta ex ficubus, radice liquiritiæ & enulæ parata his in morbis materiæ medicæ ſunt partes convenientiſſimæ. Potiones ſalinæ ex ſale aut ſpiritu cornu cervi & ſucco limonum aut aceto vini deſtillato compoſitæ admodum ſunt ſalutares: cum exſcreationem juvent, ſpirandi difficultatem levent & plerumque ſudorem aut urinam commoveant. — Opiata vero, oleoſa & mucilaginoſa medicamenta ſunt noxia, non minus quoque valde ſtimulantia & volatilia præmature data, licet hæc interdum verſum finem bonum edant effectum. — Aſt varius æſtus, febris, & difficultatis ſpirandi gradus, pulſus & ſanguinis conſtitutio, aliaque hæc comitantia ſymptomata tantum determinare poſſunt, qua ratione & quem in gradum attenuantibus & calidis aut iſtis frigidioris indolis medicamentis ut poſſimus.

(*) Οἶνος γλυκὺς καὶ ὑδαρής. Lib. III. de morb. Sect. XXIV. edit. LINDEN.

CAPUT IV.

De Pleuritide.

PEctoris in latere violens dolor febrem acutam comitem habens plerumq, nominatur pleuritis; & vel a muſculorum intercoſtalium, coſtarum perioſtei, vel pleuræ ipſius inflammatione oritur: hæc profecto ſtrictius loquendo vera tantum eſt pleuritis, illæ rheumatiſmi inflammatorii ſunt ſpecies, & nuncupantur nothæ vel ſpuriæ pleuritides. — Cum nihilo minus hæ, ſi violentiores ſunt, reſpirationem inſigniter afficiant, plerumque multo pejoribus malis, quam aliarum corporis partium rheumatici dolores ſtipantur, & peculiarem attentionem ac citiorem remotionem poſtulant.

Cum enim doloris vehementia juſtam thoracis expanſionem impediat, reſpiratio proxime affici debet; hinc pulmones non ſatis inflantur, ſanguis ex arteriis pulmonicis non libere in venas pulmonicas & ſic in ſiniſtrum cordis ventriculum tranſire poteſt: unde congeſtio & aliqua ſanguinis ſtagnatio in pulmonibus efficitur. — Cum vero ventriculus cordis dexter perpetuo majorem ſanguinis copiam in arterias pulmonum impellat, ejus rami magis magiſque diſtenduntur, donec tandem ita turgeant, ut arteriarum bronchialium ramos comprimant & obſtruant: & ſic haud raro ex vera vel notha pleuritide pulmonum inflammatio aut perfecta peripneumonia infertur, ſi in primis ſanguis eſt viſcidior. — Quicquid enim liberam expirationem interrumpit, illud ſa-

ne hæc excitare valet. — Sic ſæpius peripneumoniam excitat angina, cum liberior aeris tranſitus per glottidem ad pulmones obſtruatur. — Colicas flatulentas & ſpaſmodicas, per aliquod temporis ſpatium durantes ſæpius excipere pleuritides & peripneumonias refert FRIDERICUS HOFFMANNUS (*): cum dolores, ſpaſmi & flatus liberam diaphragmatis actionem impediant; — & ita aliqua ex parte, ut *is ait*, *juſtum ſanguinis tranſitum per viſcera abdominis intercipiant*, quibus nimia ejus copia in pulmones, *pleuram* cæteraque impellitur. — Fortior corporis conſtrictio & compreſſio ad ſtaturam formoſiorem reddendam, plures pulchras virgines effecit hæmoptoicas, ipſarumque pulmones, plenam & facilem inſpirationem impediendo, devaſtavit. — Coſta fracta, vel mera quoque pectoris contuſio ſæpiſſime hæmoptyſin, tuſſim cæteraque infert. — Profecto, ſi quidam muſculorum illorum, qui reſpirationi præcipue inſerviunt, valde affligitur, ſymptomata excitari poſſunt peripneumonica. — Viri cujuſdam junioris caſum refert D. MERY (**), qui tendine pectoralis majoris vulnerato ſtatim difficultate ſpirandi admodum inſigni & febre acuta corripiebatur. — Breviter omnia dolorum genera in pectore & ſpeciatim in pleuritide peculiarem in modum ſunt periculoſa; cum ordinatam & liberam reſpirationem valde interrumpendo majorem vel minorem ad peripneumoniam excitandam ſint apta. — Atque hæc eſt ratio, cur multo plures febres pleuriticæ cum peripneumonicis ſymptomatibus conjunctæ, quam veræ & per-

(*) Vid. Opera, Genevæ 1748. fol. Tom. IV. Conſult. Cent. II. Sect. III. Caſ. XIII.

(**) Memoires de l'academie roiale des ſciences. an. 1713.

& perfectæ occurrant pleuritides: ubi dolorem pectoris ſeveriorem febris acuta, pectoris oppreſſi, tuſſis, ſpirandi difficultas, exſcreatio aut ſanguinis ſputum comitantur; tunc ſemper caſus iſte adeſt, qui proprie nominatur pleuroperipneumonia. — Interdum quidem incidit, ut in peripneumoniæ acceſſu lateris ceſſet dolor, quod evenire poteſt, quando pulmonum infarctus ita inſignis eſt, ut parum ſanguinis ex cordis ventriculo dextro ad ſiniſtrum tranſeat & aorta vix ad partem dimidiam eo repleatur: ita, ut naturæ vires ob ejus defectum deficientes, in univerſalem ſtagnationem fiant proclives, & ægrotus ſenſibus quaſi deſtituatur, vel, ut ARETÆUS (*) loquitur, de nulla reconqueratur, licet pulſus intermittat & extremæ corporis partes algeant. Varia talia vidi exempla. — Ante quatuor circiter annos nauta quidam, nomine *Cam*, circa nonum pleuroperipneumoniæ diem & fere viginti quatuor horis ante mortem perfecta corripiebatur paraplegia. — Itaque, ſi dolor in pleuritide ſubito ceſſat, ſpirandi tamen difficultas & pectoris oppreſſio adhuc continuat aut increſcit, ſymptoma eſt mortiferum. — Atque aphoriſmus iſte eſt veriſſimus; a pleuritide peripneumonia malum. (**) Pleuritidis vero indoles & effectus ex ſequenti conſideratione clarius apparebunt.

Primo: Pleura inflammata externæ pulmonum membranæ facile adglutinari atque in ea propagari poteſt inflammatio; & hoc eo facilius eveniet, quando vel natura vel morbo cohæſio aliqua antea fuit efficta: hinc illi, qui aliquando pleuroperipneumonia laborarunt, poſtea ſimili-

 bus

(*) De pulmonaria.
(**) HIPPOCRATES Aphoriſm. XI. Sect. VII.

bus morbis ſæpius ſunt obnoxii: cum calloſitas, ut ita dicam, concretione effícta vaſa pleuræ ſanguifera conſtringat, & ita ea, ut in poſterum ſanguine viſcido facilius obſtruantur, reddit proclivia. — Non mentionem majoris aut minoris faciamus impedimenti, quod adhæſione pulmonum ad pleuram plenæ & liberæ infertur reſpirationi.

Secundo: Cum externa pulmonum membrana pleuræ ipſius ſola ſit continuatio, inde ex alia in aliam pleuræ partem & quidem eam ipſam pulmones proxime inveſtientem diffundi poteſt: ea enim per inſigne ſpatium diſpergi poteſt, haud ſecus ac parvam oculorum maculam inflammatam ſubito in univerſalem totius bulbi, palpebrarum, cæterarumque oculi partium inflammationem diſperſam videmus. — Siquidem membranam hanc pulmonum primum afficere poteſt inflammatio, & tunc tandem dolor pleuritico omnino ſimilis excitatur, licet interna thoracis membrana vel pleura non ſit affecta. — Ego vero opinioni experientiſſimi HOFFMANNI (*) hoc ita ſæpiſſime fieri, lubenter accedo.

Tertio: Mediaſtinum ipſum eſt tantum pleuræ duplicatura & ejus pars aliqua inflammatione corripi aut in eam propagari poteſt; quo in caſu acutiores ſub ſterno aut inter ſcapulas ſentiuntur dolores; hoc interdum occurrit, & in genere magnum periculum habet conjunctum. — Pleuritidis dorſalis & HIPPOCRATES (**) & ARETÆUS (***) mentionem fecerunt, in qua dolor cum orthopnœa, tuſſi & difficiliori parcaque exſcreatione a ſpina verſus ſternum excurrebat. — Hoc caſus

(*) Vid. Opera.
(**) Lib. III. de morbis, Sect. XXI. edit. LINDEN.
(***) Cap. de pleuritide.

ſus propoſitus eſſe videtur. — Interdum dolor in partibus anterioribus & directe ſub ſterno, ubi mediaſtinum cum eo cohæret, deprehenditur, atque in eventu ea in parte deprehenſa fuerunt apoſtemata. — Quando dolor profundius in pectore hærere videtur, & magnum pondus, anxietas, cordis palpitatio & perpetua quaſi ad tuſſim excitandam proclivitas adſunt, pericardium (cujus externa quoque membrana a pleura exoritur) plerumque inflammatum eſt. — Ubi dolor per totum pectus, magna cum oppreſſione & perpetui hinc atque illinc lancinantibus & pungentibus cruciatibus eſt diſperſus, non mediaſtinum ſolum, ſed & membrana utriuſque pulmonum lobi externa inflammata eſſe videtur: magna ſpirandi difficultas, oppreſſio, & anxietas, perpetua tuſſis, & conſtans erectum ſedendi deſiderium, hunc adeſſe caſum oſtendunt: ac hoc non minus periculoſum eſt, quam pericardii inflammatio. — Mediaſtini, pericardii & pulmonum membranarum inflammatio illud eſſe videtur, quod pulmonum eryſipelas appellaverunt veteres; HIPPOCRATES id deſcribit ut febrim acutam cum magno in anteriore pectoris parte dorſoque dolore, cum majore pondere, repletionem mentiente & tuſſi ſicca. (*)

Quarto: Diaphragmatis membrana ſuperior ſimili modo a pleura oritur, & vel primum, vel deinde ab inflammatione pleuræ inflammari poteſt; & hoc ſane crebrius, quam quis credat, accidit. — Quæ dicitur paraphrenitis & febrim valde acutam, dolorem admodum violentum ab inferioribus coſtis verſus ultimas dorſi vertebras extenſum, brevem, convulſivam, ſingultuoſam re-

(*) Lib. I. de morbis, Sect. XIII. edit. LINDEN.

ſpirationem, magnam anxietatem & inquietudinem, tuſſim ſiccam, ſingultum & delirium conjuncta habet; qualibet ſpeciatim ſub inſpiratione inſignis ſentitur dolor, qui ſe a cordis ſcrobiculo uſque ad ipſos lumbos extendit; hypochondriorum latus affectum introrſum & ſurſum verſus coſtas trahitur (*), & abdomen vix ita reſpiratione movetur, ut ſenſibus percipi poſſit, ſed in inſpirationis nixu quaſi doloris violentia fixum manet & convulſum.

Itaque aliqua hujus late expanſæ membranæ parte inflammata, pleuritidis progignitur ſpecies, in qua pulmones ipſi ob *ſitum continuum & contiguum*, *cohæſionem* vel *ſympathiam* ſubito inſigniter afficiuntur. — Quid? quod pulmones non minus mediaſtino & diaphragmati adhærere poſſunt, & vere adhærentes deprehenduntur, quam pleuræ vulgo ſic dictæ. — Quod ſi vero pulmones nulli pleuræ parti adhæreant, hujus inflammationi peripneumonica ſupervenire poſſunt ſymptomata; ſiquidem obſtaculum & impedimentum ordinatæ reſpirationi oppoſitum ſanguinis per pulmones circuitum juſtum inſigniter interrumpet. — Quæ cuncta aliquo reſpectu de inſigniore muſculorum intercoſtalium aut perioſtei coſtarum inflammatione dici poſſunt. — In his quidem caſibus ſymptomata peripneumonica non ſtatim accedere poſſunt, neque plerumque citius, quam poſt duos, tres aut quatuor dies ſolent; cum vero dolor inflammatorius juſtam thoracis expanſionem & ſufficientem pulmonum inflationem impediat, hi tandem tali modo inſigniter afficiuntur.

Igitur cum hæc cuncta ſæpiſſime febrium pleuriti-

(*) Si ſeptum tranſverſum perculſum eſt, præcordia ſurſum contrahuntur. CELSUS Lib. V. Cap. XXVI.

riticarum ſint pediſſequæ, ut in vera & ſpuria pleuritide tam cito, quam fieri poteſt, larga repetitaque ſanguinis detractione, refrigerantibus nitroſis medicamentis, potu, fomentis, opiatis, cæteriſque inflammationem tollamus, operam navare debemus.— Breviter, caſus hic pertractandus eſt ut *mera membranarum muſculorum* vel *perioſtei inflammatio*; quando vero pectoris oppreſſio, tuſſis, exſcreatio, cæteraque accedunt, hæc non minus, quam lateris dolor, aliaque ſunt attendenda.

Atque cur hæc omnia adeo religioſe & accurate deſcripſerim, ratio hæc eſt, ut natura, ſtatus & differentia morborum pectoris & pulmonum eo facilius cognoſcantur & in curatione diſtinguantur: etenim, exſcreantia, oleoſos linctus, & pectoralia in mera muſculorum pectoris vel pleuræ inflammatione exhibere, licet quoque levis tuſſis ſymptomatica & aliqua ſpirandi difficultas in ipſo ſpeciatim febris acceſſu eam comitetur, non parum eſſet abſurdum; cum e contrario tempeſtiva ſanguinis detractio & regimen conveniens morbum cito removere potuiſſent.— Ex altera parte, tantum in ſanguinis detractione & fomentis ſubſiſtere, ſi pulmones vel mox in principio vel deinde majorem in modum afficiuntur, foret iniquum.

Pleuritidis in veram & ſpuriam diſtinctio in rerum natura vere eſt fundata, & in curatione attendi meretur: quod ſi enim muſculi intercoſtales ſoli ſunt inflammati, multo plura a topicorum applicatione, qualia ſunt fomenta, cataplaſmata, veſicatoria, cucurbitulæ & ſimilia, ſunt ſperanda, quam ſi lateris dolor a pleuræ aut externæ pulmonum membranæ inflammatione dependet.— Ægritudo ab attactu percepta, dolor corpore in affecto

fecto latere jacente & præcipue in profundiore inſpiratione ſentitus, tumor & rubor, qui nonnunquam in parte affecta apparent hanc ab interna pleuritide diſtinguunt.

Porro laterum occurrunt dolores & quidem ſeveriores, qui ab acri irritante defluxu in pectoris muſculos & coſtarum perioſteum excitantur; & qui multo citius topicorum applicatione, medicamentis demulcentibus & convenientibus purgantibus cedunt, quam ſanguinis detractioni, quæ in tali caſu non adeo neceſſaria eſt, niſi plethoram, quæ fortaſſe adeſt, imminuere velis. — Ubi enim illi ab acribus ortum trahunt humoribus, ſanguinem iterum & ſæpius nullo alio conſilio detrahes, quam ut ægrotum debilites. — Num ſanguinis emiſſio pertinaci ſcorbuto aut doloribus medetur venereis? ſic fortaſſe, ut dolorem a dente exeſo vel a ſpina carne infixa excitatum mitigat.

Pectoris laterumque dolores vagos rheumaticos aut ab inflatione excitatos a veris pleuriticis bene diſtinguebant veteres. HIPPOCRATES illos propria loquendi formula nuncupat *ἀλγήματα ἰχνῶσ ἑϛηκότα ἄσημα*τα (*), & in eis ſanguinem emittere vetat: quibus iſti fomentis, purgantibus cæteriſque, non vero ſanguinis detractione mederi annitebantur: cum e contrario inflammatio pectoris fixa, contorta (ſyſtrophic) ut commentatores eam nuncupant, ſemper ſanguinis detractionem poſtulant. — Atque in rerum eventu nos quoque deprehendimus, dolores vagos, ſcorbuticos & rheumaticos multo melius purgantibus, fomen-

(*) Dolores tenues, vagi *abſque veris ſymptomatibus pleuriticis*: Coac. prænot. 491. edit. FOESII. — Quæ cum admonitione adverſus ſanguinis detractionem conferenda ſunt: in fine Lib. 2. Coac. præ not. DUREL

fomentis, diaphoreticis & demulcentibus medicamentis, quam ſanguinis miſſione tolli. — Quorum quidam nihil profecto, quam mercurialia, antimonialia, anodyna emplaſtra, cucurbitulas aut veſicatoria permittunt, & quidam tantum tempore, patientia & exercitiis tolluntur. Si quando dolores in fundo thoracis, in hypochondriis aut infra diaphragma cum borborygmis conjuncti & tumidum abdomen adſunt: clyſmata procul dubio & purgantia conveniunt: nihilo tamen minus hi dolores interdum ſunt acutiores & ob inteſtinorum inflationem ſæpius ſpirandi difficultatem habent conjunctam, qui vero, ut ARETÆUS obſervavit, valde improprie appellantur pleuritici. — Sæpius, tales querelas mox poſt clyſmatum uſum vel paucas alvi dejectiones non ſine maxima illorum admiratione, qui ignorabant cauſam, diſparuiſſe vidi. — Quo in caſu ſanguinis miſſio inflationem & dolores ſemper augent. — Quæ omnia HIPPOCRATIS doctrinæ & rei veritati ſunt conſentanea: magnus enim medicinæ dictator expreſſis verbis dicit, quando dolor infra ſeptum tranſverſum & abdomen tumidum eſt, leniter helleboro nigro, pelio, ſilphioque purgare oportet, quibus cuminum anethum cæteraque addantur, ut ſimul cum excrementis expellantur flatus (*).

In omnibus vero his caſibus pulſus, febris gradus, lingua, doloris ſedes & reſpirationis modus medicis prudentibus ſatis dilucide demonſtrant, quæ rerum ratio & quid faciendum ſit. — Quod ſi thoracis dolor violentus, pulſus durus, tenſus & celer, ac febris major ſit, dolores, ſi in primis rigor præcedit, pronunciari poſſunt pleuriti-

(*) HIPPOCRATES de victu acutorum. Sect. XIII. edit. LINDENI.

ritici. — Cum rigore fere ſemper veri morbi accedunt pleuritici & pulſus valde durus & tenſus eſt, ſimilis chordæ vibranti: dolores ſunt acriores, pungentes & fixi neque ut illi ab inflatione tendentes & varii, neque ut rheumatici incerti, lati & vagi. — Pulſus durities eſt partis alicujus membranaceæ inflammatæ ſignum aliquod pathognomonicum maximum: itaque ſi dolores ſub ſterno hærent, aut a dorſi ſpina verſus ſternum excurrunt, ex pulſu intenſo percipere poteris inflammatum eſſe mediaſtinum. — Cum pulmones, ut Aretæus ait (*), dolorem non percipiant (ad minimum multo minus percipiunt), vomica ſæpius in illis generatur ſine majore eam comitante dolore. Cujuſcunque organi membranæ multo majore præditæ ſunt ſenſu, quam id, quod parenchyma appellatur, ſic ureteres magis quam renes, membranæ cerebri, magis quam ipſum cerebrum. — Ergo pulſus durities, & doloris violentia præcipua eſſe poſſunt ſigna diagnoſtica in morbis thoracis & maxime ſanguinis miſſionem cæteraque determinant. — Doloris ſedem non ita, ut quidam cupiunt, attendendam eſſe exiſtimo: cum enim quælibet pleuræ pars, muſculi intercoſtales, aut coſtarum perioſteum inflammari poſſint; qualibet thoracis in parte perſentiſci poteſt dolor, ego quidem tam circa coſtas ſpurias, quam in quacunque alia parte dolores vidi ſeveriores. HIPPOCRATES ejuſque commentatores ſanguinis detractionem tunc in primis convenire, demonſtrarunt, quando dolor verſus claviculas & axillas aſcendit; mea vero opinione, ſi quacunque alia in parte ſeverior eſt dolor, iſta pari ratione eſt neceſſaria. — Dolor in paraphrenitide

(*) Cap. de Pulmonaria.

nitide eſt valde exiguus, nihilo minus vix eam aliquid acrius, quam hæc urget. Quando pectoralis major & ſerratus anticus minor inflammatur, fieri aliter non poteſt, quam ut dolor ad axillam excurrat, cum tendines ab ejus articulatione propius inſerantur: quod haud raro occurrit in pleuritide ſpuria, quæ tunc ſanguinis detractione & fomentis efficaciſſime levatur; eadem vero requiruntur, ſi muſculi intercoſtales aut coſtarum perioſteum inflammatione afficiuntur.

Quamquam quidam laterum dolores a pleuriticis valde differre poſſunt, & multo minus ſanguinis detractionem requirunt; ea tamen numquam eſt negligenda, ſi in primis iſti reſpirationem inſigniter impediunt: alias eos peſſimi ſemper excipiunt effectus, cujus rei illuſtre aliquod exemplum ſequens ſiſtit hiſtoria.

Circa diem nativitatis Chriſti anni 1728. vir quidam nobilis D. T-ll, honeſtus & ſobrius, quadraginta circiter annos natus, corporis quidem habitu tenui, ſed vivido agilique, dolore in dextro latere afficiebatur & paululum febricitabat: adeo tenuis erat dolor, ut ne domi quidem ſe teneret. Nihilo minus ſanguine detracto pauca quædam a ſuo chirurgo data ſumebat.—Cum vero de die in diem dolor increſceret, tribus ſeptimanis vel menſe uno poſt primum impetum me conſulebat.—Ego vero illum hectico calore, tuſſi brevi & ſpirandi difficultate, a dolore lateris, ut ipſe affirmabat, tantum excitata, laborantem deprehendebam: parum idque cum difficultate exſcreabat, & quod interdum ſanguine nunc leviter erat tinctum.—Ut ſanguis detraheretur & mixturam oleoſam exſcreantem, lac ammoniacum, oxymel ſquilliticum, ſalinas potio-

tiones & decocta ſumeret pectoralia, jubebam, atque ipſi regimen refrigerans ac diluens præſcribebam. Quibus auxiliis paucis diebus poſt largam purulentæ, cruentæ & fœtidæ materiæ, ex lobi pulmonum ſiniſtri vomica provenientis copiam exſcreare incipiebat; nam ægritudinem ibidem ſentiebat atque ex loco quodam ſterni lateris ſiniſtri & quidem verſus thoracis fundum provenire materiam ajebat. — Tandem parum valde neque fœtidum neque cruentum exſcreabat; tuſſis quotidie imminuebatur neque ullum pondus inſigne in ejus pectore remanebat: decoctum quoque pectorale balſamicum ex cortice peruviano calorem ejus & ſudores auferebat; ita ut ſpe fretus valetudinis ejus recuperationem propius abeſſe crederem. — Omnibus autem his exoptatis ſymptomatibus irritis dolor lateris dextri perpetuo continuabat & iſto quidem in loco, quem primum occupaverat; quid? quod ſubito tanta violentia increſcebat, ut quoque ſanguinis detractionem iterum iterumque repetitam neceſſariam eſſe, putarem; ſic quoque fomenta emollientia atque anodynum emplaſtrum ex opio, camphora & emplaſtro e cymino applicare jubebam: atque, cum hæc nullum afferrent levamen, parti ipſi ſcarificatæ imponebam cucurbitulas. — Oleum autem & opera erant perdita, dolor enim quotidie augebatur, neque ulla res, præter opiata repetita levamen ullum aut ſomnum afferebat. — Tandem pars ipſa magnopere intumeſcebat & ſigna formati abſceſſus evidenter apparebant, in quo ea propter qualibet methodo convenienti promovendo, operam ponebam. — Paucis diebus poſt ex illo a chirurgo inciſo ingens purulentæ materiæ effluebat copia, ita ut

ali-

aliquam ejus partem ex cavitate thoracis ipſius provenire exiſtimaremus. — Facta uberiore exploratione duæ coſtæ exeſæ atque nigræ ac duo loci penetrantes: alter inter quintam & ſextam coſtarum verarum (quæ carioſæ erant) & alter inter quartam & quintam ab inferioribus numerando, deprehendebantur. — Tandem ſumme debilitatus & febre hectica emaciatus vivis intereſſe deſinebat die 29. Martii 1729.

Corpore examinato muſculi quidam intercoſtales, ſerrati antici majoris aliqua & obliqui deſcendentis ſuprema pars apparebant nigræ & ſphacelo infectæ, & apoſtema ipſum uſque ad dorſi fere ſpinam extendebatur: pleuræ pars inferior prorſus nigra & eo in loco lividum erat diaphragma. Apertura ſuperior penetrabat uſque in dextrum pulmonum lobum, ubi partium vicinarum inſigne ſpatium in pus erat converſum. — In lobo ſiniſtro calloſitatis ſatis late extenſæ occurrebat ſpecies, ubi probabiliter hærebat vomica; ac a vertebris propius inſignis tumor ovo gallinæ turcicæ major & aliquo modo jam ſuppurans deprehendebatur: quædam alia quoque minora aderant tubercula; quorum alia duriora & fere lapidea, alia ſuppurantia pure erant repleta. — Pulmonum lobus uterque maxime morboſus & quibuſdam in locis omnino apparebat lividus. — Uterque plurimis in locis pleuræ firmiter adhærebat; aliæ harum adhæſionum erant ſatis largiter extenſæ, aliæ ſpecie ligamenti fibroſi efficiebantur. — Thoracis in cavitate dextra circiter menſura dimidia materiæ valde fœtidæ & obſcurioris coloris inveniebatur.

Nobilis hujus viri pulmones probabiliter ob-

ſtru-

ſtructione quadam antea erant affecti, quam dolor in ejus latere accedebat, quod interdum tuſſi ſicca brevi eſſet obnoxius: humores vero acres in coſtas & muſculos intercoſtales irruentes, liberamque reſpirationem impedientes, non parum ad ejus pulmonum obſtructionem atque ſuppurationem contuliſſe, perſuaſum habeo; & quoniam tali rerum ratione juſta thoracis expanſio impediebatur, pulmonum ad minimum augeri poterat cum pleura cohæſio.

Antea vero, quam huic capiti finem impono, pauca quædam de pleuritidis inflammatoriæ curatione addam: in hac dubio procul ſanguinis major vel minor detractio maxime neceſſaria eaque quibuſcunque aliis auxiliis eſt præmittenda: ægroti vires, pulſus & febris, doloris violentia ſpirandique difficultas ejus determinare debent quantitatem. — Quibus autem addendum eſt, ſanguinis quoque qualitatem attente eſſe conſiderandam; denſus enim & viſcidus ſanguis non minus globulorum rubrorum abundantiam, quam æque ejus proclivitatem in inflammationem, ac ægrotum neceſſitate urgente commode largam eamque repetitam ſuſtinere poſſe ſanguinis detractionem, indicat.

Bene quoque perpendendum eſt, quælibet pleuræ cæterarumque partium inflammatio, quæ tempeſtiva ſanguinis emiſſione non imminuitur, aut diluentibus antiphlogiſticis, emollientibus potionibus & medicamentis non reſolvitur, abſceſſu aut gangræna ut terminetur, neceſſe eſſe. Siquidem pleuritides iſtæ diutius durantes plerumque peripneumonica excitant ſymptomata; ideoque de inflammatione quam celerrime tollenda vix ſatis eſſe poſſumus ſolliciti: dolor

enim

enim inde exortus reſpirationem & idcirco juſtam per pulmones circulationem ſanguinis valde turbat; qui inde jam multo viſcidior (& qui proximam ipſius pleuræ inflammationis exhibet occaſionem) magis redditur aptus ad ſtagnationem in ultimis pulmonalium aut bronchialium arteriarum ramis, quam ſi tenuior ſit fluidiorque. Quæ ratio eſt, cur laterum dolores ab inflammatione multo frequentius, quam a mero acri defluxu aut ſimili re dependentes, peripneumonias excitent. — Igitur veritati maxime eſt conſentaneum CELSI effatum (*) *remedium eſt magni & recentis doloris*, *ſanguis miſſus*; & quæ ſubjungit, parimodo ſunt vera, *at ſi vetuſtior caſus eſt*, *ſerum id auxilium eſt.*

Mox poſt ſanguinis detractionem clyſma emolliens, alvo in primis obſtipata eſt iniiciendum, quo non inteſtina ſolum duris excrementis & flatibus liberantur, ſed major quoque ſanguinis copia ad aortam deſcendentem & vaſa iliaca derivantur atque utraque ratione partes levant ſuperiores. HIPPOCRATES (**) ubique in pleuritidum principiis clyſmata ſuadet & caute egregiam iſtam admonitionem exhibet, nos neque alvum nimis adſtrictam, ne febris augeatur, neque nimis fuſam, ne vires & ſpiritus deficiant, permittere debere (***)

Quo facto pars dolens decocto ex ſemine lini, fœnugræci, floribus chamomillæ cum aqua & lacte parato foveatur. — Quæ quidem medendi veterum erat methodus; HIPPOCRATES, inquit (****), fomenta & mox a principio & poſtea

(*) Libr. IV. Cap. VI. (**) De victu acutor. Sect. LII.
(***) Lib. III. de morbis. Sect. XVII.
(****) De victu acutor. Sect. XI. XII. edit. LINDEN.

ſunt applicanda, ut dolor reſolvatur pleuriticus: hæc tam ſicca, quam humida conſtanter in pleuritide ſuadet. — Ego quidem, quando repetita ſanguinis detractione nullum afferebatur levamen, ea optimo cum ſucceſſu applicata fuiſſe vidi. — Dolor iſque inflammatorius præcipue ſemper a fibris nimium tenſis ortum trahit, quem fomenta emollientia illas relaxando, tollunt. Omnibus vero rebus ſiccis calidiſque in dolore pectoris inflammatorio aut lateris multum præfero humida fomenta aut cataplaſmata: diuturniorem ſiccorum fomentorum uſum diſſuadet ipſe HIPPOCRATES (*) atque verſus criſin ea, quæ ex humidis ſunt, commendat (**). — *Cum paululum*, ait CELSUS (***) *inflammntio ſe remiſit, ſiccis & calidis fomentis uti oportet. Ab his tranſitus ad malagmata eſt.* Ego vero plerumque anodynum emplaſtrum ex opii drachma una, camphoræ ſcrupulo uno & emplaſtro de cymino compoſitum poſt convenientia adhibita fomenta, (ſemper autem primum adhibeo fomenta humida), optimo cum ſucceſſu applico. — Rerum in rationibus valde periculoſis, abdomini quoque, inguinibus, cæteriſque partibus applicanda ſunt fomenta, quæ nimiam fibrarum adſtrictionem generatim imminuendo ſanguinis impetum infringunt. — Multo efficaciora erunt balnea emollientia, ſi illis convenientem in modum uti poſſumus; ea dorſi, laterum & pectoris dolores levare, ait HIPPOCRATES: quorum eximiis in colicis atque nephriticis paroxyſmis effectus nos incitare debent, ut eis in valde violenta

(*) Ibid. Sect. XII.
(**) Lib. III. de morbis Sect. XXIII.
(***) Lib. IV. Cap. 6.

lenta atque pertinaci pleuritide & paraphrenitide utamur. — Calidorum applicatione materiam coqui & exſcreationem promoveri, credebant veteres; hoc certo certius efficiunt, dum dolorem mitigant & muſculis intercoſtalibus cæteriſque partibus majorem thoracem expandendi contrahendique ac materiam evocandi conciliant libertatem: ideo, ut in pleuropneumoniis hoc quoque reſpectu maxime ſint ſalutaria, neceſſe eſt.

Hæc mox excipiant medicamenta nitroſa, quibus jungatur regimen diluens, emolliens, refrigerans. Lactis ſerum tenue, decoctum hordei & papaveris rubri, emulſiones & ſimilia, conſilio, quo potum exhibemus, reſpondent; ac nitrum non minus ſanguinem refrigerat, quam attenuat: his jungenda ſunt mitia anodyna, quæ, prouti ſe offert occaſio, repeti poſſunt: elixirium paregoricum & diacodium mihi videntur aptiſſima: quibus ceti ſperma, oleum animale mite, relaxans, valde penetrans neque tamen exæſtuans eſt addendum: & quando fibrarum rigiditas ſit major, olea vegetabilia refrigerantia, ut ſeminis lini, amygdalarum dulcium, bono cum ſucceſſu dari poſſunt. Pleuritidis in curatione methodum emollientem, atque relaxantem indicari, ex his manifeſtum eſt. Scilicet homines robuſti & laborioſi fibris rigidioribus & conſtitutione corporis ſicciore præditi huic morbo magis ſunt obnoxii & magis ab illo afficiuntur, iſque præter ea tempeſtate frigida & ſicca in primis ſævit.

Doloris violentia procul dubio poſt ſanguinis detractionem opiatorum exigit uſum, quæ prudenter interpoſita profecto ſunt valde ſalu-

taria. — Cum enim dolor ſit ſtimulus, quo ſanguinis circulus acceleratur, ſanguis ipſe exæſtuatur, & plus naturaliter juſto ad partem dolentem derivatur; inde eo inflammatio ipſa augeri debet. — Spina carni infixa aliquam excitat febrim & in vicinis partibus inflammationem. — Porro ſi tuſſis pertinax, ut in pleuroperipneumoniis, adeſt, diacodio aut ſimilibus eſt mitiganda; alias nimia agitatione, quam commovet, ipſam inflammationem augebit. — In horum uſu maxima profecto opus eſſe & cautione & prudentia, negandum non eſt; ideo quilibet antea, quam ad eorum uſum accedit, in animum revocare debet, lanceola nec timide nec parce utendum eſſe, ſi dolor urgeat, pulſus durus, celer & tenſus ſit ac febris deprehendatur major. — Quid nonnunquam in pleuritide & peripneumonia effici poſſit & debeat, ſi quando maxima irruant cum violentia, ſequentia commonſtrant exempla.

Quatuor circiter ante annos vir quidam nobilis, fortis, plethoricus, quadraginta circiter annos natus, febre & violento lateris dolore corripiebatur; ipſi mox ad ſedecim vel octodecim uncias detrahebatur ſanguis. — Quo facto diminuebatur dolor. — Surgebat & igni in conclavi fumo repleto aſſidens vini pomacei frigidi fere quartam menſuræ partem bibebat, rigore afficiebatur inſigni, quem febris major, dolor in latere & pectore ingens, magna ſpirandi difficultas, delirium & talis tuſſis excipiebant, qualem vix unquam audivi, maxima, terribilis & haud ceſſans, qua magna ſanguinis recentis, ſpumantis evocabatur quantitas. Quæ me impellebant, ut intra viginti quatuor horarum ſpatium ter ſanguinem detra-

detraherem & intra hoc breve temporis ſpatium *ſeptem laudani ſolidi grana præter uncias binas vel tres diacodii* exhiberem; -- atque his, his ſolis inquam (nam alia adhibere nolebat) iſte fortaſſe reſtituebatur. — Quod ſane ſingulare prorſus eſt exemplum. — Sed ſupra propoſitam medendi methodum valde ſalutarem ac efficaciſſimam eſſe, plurimis in caſibus ſum expertus; eamque immenſum in modum plus præſtare, exiſtimo, quam ſanguis hirci, priapus lauri, aliæque HELMONTII nugæ, quæ adeo in *archæo* compeſcendo & *pleura furente* (*) pacanda extolluntur; nihilo tamen ſecius, maxima cum vehementia & bile acriori in GALENI filios ejuſque ſcholam ob methodum pleuritidem ſanguinis miſſione curandi invehit.

In pleuritide epidemica variis temporibus moderatum ſudorem poſt tertium in primis aut quartum diem admodum fuiſſe ſalutarem, vidi; atque hanc ob rationem ſæpius nitro cæteriſque addidi camphoram, quæ cum parca elixirii paregorici doſi conjuncta & in ſero lactis tenui calido aut ptiſana data raro aut nunquam fallunt, quin huic intentioni reſpondeant. — Frigida humidaque in tempeſtate & hominibus antea catarrhalibus vel rheumaticis frigidis affectibus obnoxiis hæc methodus admodum convenit, ſi juſta ſanguinis quantitas antea fuit detracta: talibus in caſibus quoque lenia conducunt purgantia. — Ægrotos affectibus pleuriticis laborantes quibuſdam in aeris conſtitutionibus, in primis tempeſtate humida nebuloſa continuata majorem ſanguinis detractionem haud perferre, ex optimis conſtat obſervationibus: eos ſanguinis detractionem multo meliore cum ſucceſſu & minore cum

(*) Vid. HELMONT. pleura furens.

damno ſuſtinere frigido ſiccoque vere, quam humida æſtate aut pluvioſo autumno, generatim deprehenditur. Quid? quod occurrunt quædam pleuritides, ad minimum vulgo ſic dictæ, quæ parcam vel nullam ſanguinis emiſſionem permittant, in quibus lateris dolor merum ſymptoma, non morbus ipſe eſſe videatur; ſic ægritudo & dolores febres putridas malignas, variolas, cæteroſque morbos præcedentes aut comitantes proprie non ſunt rheumatici ſed mere ſymptomatici. — Igitur tales dolores ab acrimonia, non inflammatione oriuntur, eiſque medentur diluentia, diaphoretica, eccoprotia, veſicatoria cæteraque non ſanguinis miſſio, quam ſuſcipere veteres, ubi bilis (quo nomine acrimoniam intelligunt) præ aliis dominatur, vetant.

Popolum *Romanum* atque *Athenienſes* non tam commode quam *Helleſpontum* inhabitantes ſanguinis detractionem in pleuritide & peripneumonia ſuſtinere, obſervavit ASCLEPIADES (*); cum illi his a meridie propius in calidiore & humidiore aere vivant, hi vero frigidioribus ſiccioribuſque ventis aquiloni & favonio magis ſint expoſiti: eandem obſervationem ratione populi *Pariſini* frigidiore in regione viventis & incolarum partis *Galliæ* merdionalis, qui a meridie propius calidiores inhabitant regiones, effecit HOLLERIUS (**). Equidem in regione arctioribus limitibus incluſa morbum quendam epidemicum, qui in depreſſis calidis locis mari propioribus tantum febrim lenem catarrhalem

(*) Vid. CEL. AURELIANUS Lib. II. Cap. XXII. de morbis acutis & chronicis Amſt. 1722.

(**) HOLLERIUS in Aphoriſm. II. HIPPOCRATIS Sect. I.

rhalem excitavit & vix ullam ſanguinis detractionem poſtulavit, in vicinis frigidis atque elatioribus locis conjunctum fuiſſe cum ſeveris pleuroperipneumonicis ſymptomatibus, ac non parcam ſanguinis exegiſſe emiſſionem pluries annotavi. — Solidorum fluidorumque conſtitutio ipſa procul dubio ratione diverſi inhabitantium ſitus inſigniter differt. — Itaque, ut breviter omnia complectar, his tandem hoc mihi liceat addere corollarium, in morborum curatione non peculiarem ſolum morbi epidemici naturam conſiderare, ſed tempeſtatis quoque ac ægrotorum conſtitutionis habere debemus rationem.

OPUSCULA
VARIA.

I.

PARTIUM GENITALIUM IN MULIERE STRUCTURA PRÆTERNATURALIS.

EX EPISTOLA

Viri doctiſſimi JOANNIS HUXHAM *M. D.* *ad* JACOBUM JURIN. *R. S. Secr.* (*)

A. B. de parochia *Lanteglaſſ* in comitatu *Cornubiæ*, prope *Fovvye* oppidum, annos nata XXIII. nupta fuit cuidam nautæ robuſto, tandemque prægnans, ſibi partium male conformatarum conſcia, opem imploravit chirurgicam. Sibi acceſitum eſſe voluit Dominum BONNETT de *Favvye* oppido, & artis chirurgicæ & obſtetriciæ peritiſſimum. Ille vero perſpecto denudato corpore ſequentia obſervavit.

Loco umbilici, in medio abdomine, paululum vero inferius, prominet maſſa quædam ſpongioſa, carnis quaſi offam præ ſe ferens, abdomini tranſverſe incumbens, magnitudinis fere ovi gallina-

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions. Ann. 1723. N. 379. p. 409.

linacei, longa autem tres digitos: ex hac duo erumpunt meatus urinarii exiles, qui urinam perpetim exſtillant, quam neque vel retinere vel ejaculare poteſt; hinc veſicam, (ſi quæ adſit) ſphinctere caruiſſe concludendum. Spongioſa hæc molliſque maſſa, urinæ acrimonia corroſa, tactum fere refugit molliſſimum, adeo ut incurvata obambulare coacta ſit, ad dolorem a veſtibus impreſſum evitandum, eamque tenuiſſimis linteis involvere. Hanc quidem maſſam funem fuiſſe umbilicalem male a partu abſciſſum, male dein curatum, exiſtimo; ne vel minima enim umbilici, niſi hic, apparent veſtigia; quid quod & urina per urachum pervium, & in duos forſan tubulos diviſum, vel ſaltem per canales duos proprios, effluit. Priori potius credo opinioni; quia dantur hiſtoriæ urinam per umbilicum in adultis etiam excretam fuiſſe atteſtantes. (*)

Hanc infra offam ſubintrat vaginæ foramen; ab offa diſtans breviſſimo ſpatio: ex hoc effluxere catamenia, per hoc etiam gravida facta fuit mulier, haud magnam vero tempore coitus percepit voluptatem; ſumma enim penis glans in hoc orificium vix fuit intromiſſa, multo minus ipſa virga. In hoc foramen digitum ægre introduxit chirurgus, eo ſcilicet animo, ut ipſum uteri collum exploraret, quod tamen ne vel tactu percepit, plane autem deprehendit membranam craſſam hocce orificium ab altero inferiore, jam deſcribendo, ſeparantem.

Eo fere ipſo loco, ſuperius verum paululum, ubi in mulieribus rite conformatis adeſt foſſa magna, inventum fuit foramen alterum oblongum, ne

(*) Vid. Hiſt. de l'Acad. Royale des ſciences. An 1701.

ne vel minimi digiti apicem altius admittens; recto inteſtino uti poſt partum obſervatum fuit, pervium (quod a ſectione fortaſſe accidit:) nullus autem hic occurrit ſphincter: inferius vero rectum inteſtinum, more ſolito, cum ſphinctere circumdato terminatur.

Orificium hoc oblongum ab orificio vaginæ, abdomine maxime tumente, duos ſaltem digitos tranſverſos diſtitit, inter quæ membrana deſcripta intervenit ab interiore parte, hujuſce vero fiſſuræ oblongæ quaſi labiorum coalitio exterius e ſuperiore foraminis parte.

Nulla hic clitoris, hic nulla oſſium pubis adſuere veſtigia, niſi, quaſi apophyſes breviores ex utriuſque oſſis ilii parte inferiore protuberantes, oſſium pubis rudimenta dixiſſes. Hic fuit ante partum rerum ſtatus.

Die 18. Julii 1722. hora noctis 11ma advocatu eſt BONNET chirurgus, ut parturienti opem ferret. Perpenſis omnibus, fœtum invenit vaginæ orificium infra dilapſum, quem muliere decumbente ſuperiora verſus propellere fruſtra adnixus eſt, ob fortiſſimos fœtus motus & graviſſimos matris dolores, cui etiam jam ſupervenere convulſiones, ſyncope, cæteraque. Vaginæ autem orificium vix ac ne vix quidem dilatatum, ita ut, illi jamjam moriendum eſſe, fuerit omnium expectatio.

In hoc miſerrimo rerum ſtatu, miſericordia & humanitate adductus chirurgus, poſthabuit omnino, quid vel ignarum vulgus, vel invidus hic garriret aut hic: anceps experiendum eſſe remedium potius, quam nullum apud ſe ſtatuit, morte aliter citiſſimo ingruente pede.

Parentibus periculoſiſſimum rerum ſtatum eaar-

enarravit, nil niſi a ſectione expectandum, anceps cipitem prædixit eventum. Annuentibus hujus miſerrimæ matre, & adſtantibus, in orificium oblongum inferius ſcalpellum chirurgicum introduxit, & uno ictu coalitionem labiorum hujuſce orificii & membranam ſeparantem diviſit: hinc in unum coivere & orificium vaginæ & oblongum inferius. Jam digitis facilis introitus, orificium uteri internum attrectavit: dilatavit paululum, caput inde ſenſit infantis: quid plura? Fœtus ori intruſo digito, puellulam vivam, probe formatam, mirantibus maxime adſtantibus, demum extraxit, quæ & adhuc & viget & valet; uti etiam & ipſa mater, quanquam poſt puerperium febre graviter colluctata eſt.

Jam a partu prolapſu ipſius uteri divexatur, quo prolabente nec per horas 8. 10que reducto, eam dein, ſi fortius intrudas, exiliunt e meatibus urinariis deſcriptis rivuli duo ad pedis ſaltem diſtantiam; argumentum ſane cyſtidis cujuſdam urinam excipientis; aliter re vera ſuſpicatus eſſem meatus iſtos duos urinarios ipſorum ureterum fuiſſe orificia, hic terminantia.


Quærat fortaſſe curioſior aliquis, quo forte modo gravida facta fuit muliercula noſtra?

Illi reſponderim, penis intruſionem ad prolem concipiendam haud abſolute eſſe neceſſariam, ſeminis autem intra vaginam ejaculationem quam maxime. (*)

Hujus rei narrationem tibi citius tranſmiſiſſem, ni diu, fruſtra autem hactenus, mulieris alteram graviditatem expectaſſemus, quum per

ſat

(*) Vid. Hiſtoire de l'Acad. Royale des ſciences 1712. vid. etiam MAURICEAU.


b b
A A
c
d
e

ſat longum tempus a puerperio cum marito cohabitaverit.

Figura addita repræſentat mulierem gravidam; A A ſpongioſam aſſimulat quaſi carnis maſſam, quam partem fuiſſe chordæ umbilicalis autumo, magnitudinis fere ovi gallinacei, tres vero digitos longam. Ex hac duo erumpunt fiſtulæ urinariæ b b, quæ urinam perpetim exſtillant, nec ex ullo alio orificio redditur urina.

c Orificium vaginæ, cloacæ galli gallinacei quam ſimillimum, ſpiſſo quaſi ſepto circumdatum: per hoc effluxere ἔμμηνα, per hoc etiam gravida facta mulier. Hoc orificium, dum perpeſſa fuit mulier graviſſimos partus dolores, nullo fere modo dilatatum fuit, quamquam anus ipſe, ob vehementiſſimas muſculorum abdominis cæterarumque partium contractiones, maxime hiaret.

d Locum indicat, ubi inventum fuit foramen oblongum, minimi digiti apicem vix admittens. In hoc, tempore puerperii, chirurgus introduxit ſcalpellum chirurgicum, idque ab hoc in orificium ſuperius adegit: ita ut jam a partu dehiſcat monſtroſum, horrendum, informe, ingens foramen.

Orificium ſuperius tranſverſum ab inferiore oblongo (appropinquante partu) duos fere digitos diſtitit. Ex hoc magno hiatu ipſius uteri prolapſum ſæpiſſime nunc patitur. Ex loco etiam, ubi adfuit olim orificium inferius, jam a puerperio, partim excretæ ſunt fœces alvinæ: hoc vero ante partum minime obſervatum fuit, ita ut a ſectione forte acciderit.

Orificium hoc oblongum paulo altius, quam par eſt, in figura deſignatur.

e Anum

e Anum repræſentat paulo magis antrorſum, quam in aliis poſitum: per hoc maxima fecum pars egeritur. Pudendum hoc, quale quale, eſt non denſe crinitum. (*)

II.

OBSERVATIONES DUÆ RARIORES.

EX LITTERIS

Viri doctiſſimi JOANNIS HUXHAM, *M. D.* *ad* JACOBUM JURIN. *R. S. Secr.* (**)

OBSERVATIO I.

Ingens Omentum.

VEterani cujuſdam militis uxor dolore colico & vomitu diu laboraverat, quibus ſupervenit ventris tumor durus, qui auctus indies magnam in molem increvit. Jam evomuntur omnia, bilis atra, ſincera, tandem & ipſæ fæces alvinæ. Dolor

(*) Hujus notatu dignæ hiſtoriæ aliam deſcriptionem, cum jam relata ſatis convenientem, attamen paulo pleniorem qui cognoſcere avet, evolvat eaſdem commentationes philoſophicas Anno 1724. Num. 384. p. 142. ubi GUILIELMUS OLIVER eandem deſcriptionem chirurgi, qui feminæ iſti tempore partus auxilio fuit, refert.

(**) Vid. Philoſophical Tranſactions Anno 1724. Num. 382. p. 60.

Dolor vero perſæpe immanis in ſiniſtro præſertim hypochondrio ſolus, catharctica, enemata, anodyna, plurima pharmacopœio COLLINS adhibentur; incaſſum omnia; permanet dolor, increſcit uſque tumor, digitorum preſſui haud magis cedens, quam ſi lignum fuiſſet.

Ex hocce tumore plura quaſi tubera enata ſunt, quorum unum alterumve caput puerile, alia pugnum virilem, magnitudine æquabant: eminebat autem maximum in ſiniſtro hypochondrio, ubi graviſſimum perſenſit dolorem, ita ut ſæpius exclamaverit, ſe voluiſſe tumorem ibidem loci fore perfoſſum. Increſcente tumore facta eſt valde dyſpnoica. Tanta tamque atrocia per menſes fere 14. perpeſſa fuerat mulier, cum tandem grata venit morborum requies, mors.

Mihi enarravit caſum pharmacopola, rogavit inſuper, ut viſcera inciſo abdomine inſpicerem, quod cum alio medico feci perlubens.

Nudato cadavere montoſum obſervavimus ventrem; reliquum vero corpus ſumma macie confectum. Secto abdomine in conſpectum ſe dedit ingens quaſi ſebi maſſa (niſi quod colore fuit minus alba) totum ventris cavum adimplens, ita ut nec ventriculus, nec jecur, neque inteſtina apparerent ulla; adhæſerat enim omentum hoc enorme peritonæo pluribus in locis, in utroque præſertim hypochondrio, ubi & latior & firmior fuit cohærentia.

Secto autem in modum crucis peritonæo & ab omento ſeparato, conſpeximus illum in pelvim fere detruſum, omentum etiam toti jecinoris cavo annexum, ventriculum hac mole oppreſſum, uti & duodenum, colon & jejunum: cum adipoſo renum involucro (ſiniſtro præcipue)

connexum & quaſi confuſum fuit; adeo ut colon, altius paulo quam in rectum deſinit, ſebo hocce concreto fuit penitus involutum, hinc fecibus præcluſum iter, hinc illæ lachrymæ, hinc dolores illi ſæviſſimi, quibus ante mortem excruciata fuerat mulier; & ut hic obiter notem, per plures dies ante mortem nec ſua ſponte, nec vel clyſmatibus acerrimis irritata alvus dejecerat ullas.

His luſtratis ingens ſeparavimus omentum a iecore, ventriculo, ſcirrhoſo pancreate, inteſtinis, tandem & a meſenterio, & ab interna peritonæi lamina renibus inſtrata. Splen fuit hac maſſa quodam modo demerſus, contractior & quaſi coriaceus. Hunc quaſi ſebi montem exemi denique & per famulum noſtrum domum miſi: erat autem animus, omentum hoc morbidum accuratius perſpiciendi, cum jam enim adveſperaſceret, deficit opportunitas.

Pendebat omentum hocce ℔ XVI $\frac{1}{2}$ Avoird. nec tamen abſtulimus unam ſaltem alteramve libram partibus adhærentem. Pondus hercle maximum! Si conſideremus ex obeſiore homine omentum vix libras pendere tres, majus certe inveni antehac nunquam, quamquam & ſecui & diſſecta vidi plurima hominum cadavera. Fateor equidem longe majus a GREGORIO HORSTIO in ſuis obſervationibus memoratum fuiſſe, majus etiam in Ephemeridibus German. ann. x. veruntamen hoc quoque monſtrum monſtris annumerari merito debet.

Hujus & in extima parte, nec non in interiore ſubſtantia, plura obſervavi vaſa ſanguifera, eaque certe maxime dilatata, quorum aliqua penna anſerina majora, aliqua vero quaſi in aneuriſmatibus terminantia. Ex horum aneuriſmatum (ſi

ita

ita dicam) maximo uncias circiter ſex nigricantis ſanguinis extraxi cum quibuſdam grumis albidioribus; anne adipis particulæ a venis epiploicis abſorptæ atque morbo congelatæ?

Ex plurimis locis conflari mihi videbatur maſſa hæcce, ſibi invicem arcte hærentibus; aliquos tamen ſeparavi, quorum pauci pomo minori fuere magnitudine æquales; forma haud abſimiles. Media hujus pars, cætera durior, cultro haud facile cedebat.

In iſthoc cadavere ſequentia etiam fuere obſervatu digniora. Inferior hepatis pars in ſcirrhum abierat. Ex veſica fellea plures exemi calculos; carbonem foſſilem colore referentes, friabiles; aquam innatantes, quos bilem haud improprie nominares ſplendidam; his quippe quum inerant plurimæ particulæ micantes, haud dubio ſalinæ.

Meſenterii glandulæ fuere ſcirrhoſæ, immo quædam in ſubſtantiam pene lapideam indurataæ. Inteſtina tenuia fuere inflammata, coloni cum cœco fere totum gangræna correptum; etiam proceſſus ipſe vermicularis.

Ren uterque fuit ſanus ſatis: dexter autem emiſit ureteres duos; cum vero renem diſſecuiſſem, percepi facile, quid eſſet in cauſſa, cur ureter hic fuit duplex. Renis enim pelvis ſepto quodam fuit diviſa, digitum tranſverſum craſſo, ejuſdemque perfecte ſubſtantiæ cum reliquo renis parenchymate.

Hic fuit ren quaſi duplex, cui duplex pelvis; ureterque duplex.

Erant in imo abdomine ſeri ſubcruenti libræ quaſi duæ.

Malum hoc immedicabile penitus viſum eſt; niſi quis morbi principiis obſtitiſſet.

OBSERVATIO II.

Salivæ color inſolitus.

DOminus FOX, quadragenarius, gracilis, bilioſus, per menſem unum alterumve elanguerat, nauſea, ictero & doloribus colicis vexatus: tandem ex epoto largiter vino pomaceo vehementiſſimo colices paroxyſmo correptus me conſulit. Vomitabat omnia, urinæ parum reddebat coloris lixivii, quæ ſedimenti plurimum deponebat ſubviridis.

Ego ſtatim illi potionem ex ipecacuanha emeticam propinari jubeo, infuſo dein. C. Bened. affatim hauſto plurima viſcoſa, bilioſa, rejecit: tum enemate terebinth. injecto alvus bis terve reſpondit. Ex ſumpta miſtura anodyna vomitus & tormina comprimuntur; jam de languore ſummo & abdominis diſtentione conqueſtio; paulo etiam poſt recrudeſcit dolor. Bolum præſcripſi ex Jalap. ℈j. Calomel. gr. VIII. Spec. Diambr. gr. VI. Laudan. ſolid. gr. I. Syrup. de Sp. Cerv. q. ſ. quamprimum ſumend. cum Tinct. ſacr. ℥ji. Hinc omnia pacata. Poſt horas 12. ter fundit alvus perliquida, bilioſa. Ex ſumto dein hauſtu anodyno nox tranquilla. Mane de dolore & faucium tumore queribundus craſſa, ſubfuſca expuebat; mox abunde effluit ſaliva colore viridiſſima, bili porraceæ quam ſimillima, niſi quod tenuior. Perduravit fluxus hic ſalivæ viridis horas quaſi 40. quo tempore ſputavit, quantum vix caperent ſextarii duo: ad flavedinem dein vergebat

bat color fluoris eo uſque dum ad inſtar ſolu: tionis Gutt. Gambæ evaſit: quantitas autem aucta potius, quam diminuta.

Perſtitit & hicce color per horas etiam quadraginta, dein ſenſim pellucida facta eſt ſaliva, atque ſubito, uti oborta eſt, evanuit penitus ſalivatio.

Intra biennii ſpatium bis terve in icterum inciderat ante hujus morbi acceſſionem. Decem abhinc annis maxima ſalivatio ſponte erumpens hunc ipſum hominem in ſummum vitæ diſcrimen intulerat; ſalvus autem evaſit ope doctiſſimi expertiſſimique Medici D. D. PYNE. Tunc vero temporis ne vel mercurii hilum ſumſerat, nec ullo modo fuerat colorata ſaliva.

In hac hiſtoria obſervatu haud indigna quædam occurrunt. Salivatio nempe ſponte exſuſcitans, vel ex tantillo forſan Calomel. excitata. Calomel autem probe paratum novi, quippe qui plurimas ejuſdem doſes, quarum aliquas ad ſcrupulum integrum exhiberi juſſeram, ne vel minimo ſequente ſalivationis ſigno.

Occurrit porro, quantum ego ſaltem ſcio, ſalivæ inauditus color. Saliva viridi ita penitus tincti erant dentes & fauces, quaſi ærugine obducti fuiſſent: permanſit dentium color viridis quatuordecim poſt diebus, quam convaluit.

Notandum præter ea fluxum hunc ſalivæ fuiſſe criticum, quo judicatus eſt & icterus & colicus morbus; ab inceptante enim ſalivatione ne vel minimus dolor ventris & color cutis ſubviridis ſenſim evanuit, urinam etiam reddidit copioſius, ſed ſubnigram. Ille vero, qui ante hunc fluxum valde languidus fuit & jam quaſi moribundus, maximum ſalivæ evacuationem εὐφόρως φέρει.

Serum ictericorum tinctum eſſe bile omnibus notum eſt; nec alicui forſitan videatur magis mirandum, ſerum flavum poſſe per glandulas ſalivares excerni quam per ſeroſa cutis vaſcula, quod tamen ictero laborantibus contigiſſe ſæpius obſervavimus, admoto prius epiſpaſtico: de urina bilioſa nihil dicam. Unde vero color ſalivæ viridis haud ita facile dictu. Hujus opinor ego cauſam procatarticam eſſe pomacei vini potationem.

Bili ſi miſcueris acidum color oritur viridis. Hinc torminoſæ infantum dejectiones virides, lacte in ventriculo aceſcente. Hinc porracea bilis. Ponamus jam acidum pomaceum a venis lacteis vel a meſaraicis forſan, abſorptum ſeroque ſanguinis bilioſo permixtum: quid eveniret inde? Credo equidem flavi ſeri coloris in viridem permutatio. Profiteor hercle, acida quæcunque a vi corporis vitali in alcalinam naturam mutantur, etiam ipſum vitrioli acidum: langueſcentibus autem viribus, concoctione læſa, lympha effœta facta, facta & inerte bile, queis adde ſanguinem tardius circulantem, acida parum ſubacta, nec in primis viis, nec in ipſo ſanguine, acidam exuunt naturam. Hoc teſtantur acidi debilium ſudores, acidu ſque in ore ſapor a febribus inflammatoriis convaleſcentium, quibus ad reſtinguendam febrem largius fuerat exhibitus acidus potus. Sæpius certe memini me vinum pomaceum largiter potaſſe brevique urinam ipſiſſimum potus odorem ſpirantem reddidiſſe. Curabam nuperrime mulierem ſumma hæmorrhagia, durante diu, correptam, cui inter cætera plurimum fuerat exhibitum Elix. Vitriol. Mynſichit. ceſſavit tandem hæmorrhagia, debilis autem inde reddita mulier incidit in leves ſpaſmos, artuumque dolores, ven-

tris

teris tormina diarrhæa comitante, plures excrevit alvus dejectiones viridiſſimas, ſtercoris vaccini ſimillimas, taleſque per plures dies, quamquam Rhabarbarum fuerat ter exhibitum ad expurgandas acidi particulas, inteſtinis adhærentes. Hic ſal acidus ſanguini immiſtus, poſt dies plures iterum e ſanguine per inteſtina rejectus eſt, vi vitæ nullo fere modo ſubactus.

Microſcopio olim obſervavit LEEUWENHOECKIUS, quod chyli ſales acidi a bile retundantur & comminuantur, quum vero in jecore ſubſiſtat obſtructa bilis, integris viribus vaſa lactea permeat acidum. In ægroto autem noſtro bilem obſtructam fuiſſe, patuit inde, quod alvus fuerat compreſſior, & feces ante vomitum medicamento commotum reddidit albidas.

Hypotheſis fortaſſe noſtra illuſtretur magis, ſi perpendamus, unde oriatur virginum καχεκτῶν color herbeus (ut cum PLAUTO loquar.) His enim fructus immaturi, acetum atque id genus alia, ſummæ ſunt cupediæ, vitiatis autem concoctionis organis, parum immutata ſanguini miſcentur, bilemque & ſanguinem obruunt acido. Hinc glandulæ obſtructæ, hinc facies ex viridi pallida, tumor hinc hydropicus; atque quod non levis eſt momenti jecur ſcirrhoſum ex chloroſi præmortuarum ſæpe inventum fuit viride. Jam paucis reſtat dicendum, unde colori ſalivæ viridi ſucceſſit color flavus, quod inde factum arbitror, quia poſt acidum a ſanguine partim ablegatum, partim & a motu ſanguinis, ob cardiaca exhibita, aucto deſtructum, ſuperfuit ſolum ſuperflua bilis ſanguine expellenda, quod & brevi ſeceſſit, reſeratis bilis poris & per patulos ſalivæ ductus mirandum in modum excreta.

III.

DISSERTATIO BREVIS DE VARIOLIS EPIDEMICIS ANOMALIS,

Plymuthi menſe Auguſti 1724. incipientibus & uſque ad menſem Junii 1735. continuantibus.

Auctore eruditiſſimo atque ingenioſiſſimo D. D. HUXHAM, *Medico Plymuthi.* (*)

MOrbi hujus ſymptomata conſueta variolas præcedebant; ſed dolores membrorum dorſique in genere conſuetis erant ſeveriores, ſic quoque nauſea & vomitus. Colicis doloribus corripiebantur plurimi, quibus eruptione vel uno alterove injecto clyſmate, cui mite anodynum erat additum, liberabantur: alvi dejectiones plerumque proveniebant bilioſæ.

Interdum incidit, ut ante & in ipſa eruptione ſymptomata non adeo ſevera eſſe viderentur, nihilo vero ſecius variolæ evadebant confluentes atque in morbi ſtatu fiebant mortiferæ. Puſtulæ erant valde parvæ, neque, ut fieri ſolet, repletæ; uno aut altero vero die poſt eruptionem in medio collapſæ & depreſſæ apparebant. Hoc etiam obſervabam in illo diſcretarum genere. In quibuſdam hominibus breviore tempore quam viginti

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions, Anno 1725. Num. 390. p. 379.

ti quatuor horæ ab eorum impetu in conſpectum prodibant: quando iſtæ tam cito erumpebant, ſemper ex genere erant confluentium, uti plerumque obſervatur. Eruptionem comitabatur ſternutatio prodigioſa, in primis in infantibus. Perſpexi infantem (*) quinque circiter annos natum, qui indeſinenter triginta horis diutius ſternutabat, neque hoc alio, quam anodynorum auxilio mitigari poterat. Variolis laborabat confluentibus atque decimo tertio die moriebatur infans. In quibuſdam in & poſt puſtularum eruptionem intolerabilis accedebat pruritus; hoc quoque infanti mox nominato contingebat, & in genere malum erat ſymptoma: cum hoc magnam materiæ morboſæ prodibat acrimoniam.

In paucis quibuſdam die uno vel altero, poſtquam eruptio perfecta eſſe videbatur, in variolarum interſtitiis variæ apparebant puſtulæ miliares, quarum aliæ rubore obſcuro, aliæ vero ſero limpido erant repletæ. Quæ nunquam, ut ſecundarius variolarum proventus, prouti interdum obſervavi, raro efficere ſolent, ſuppuratione maturefcebant; neque tam copioſæ erant. Quamquam hoc in genere malum ſit ſymptoma, attamen in puella ſeptem annorum (*), febrim atque delirium poſt hanc eruptionem prorſus ceſſaſſe urinamque mox ſubſediſſe, perſpexi.

Nonnulli purpura abundabant, petechiæ in interſtitiis variolarum in ipſa eruptione apparebant, atque puſtulæ ipſæ luridum oſtendebant colorem: in nonnullis haud prius ſe manifeſtabat purpura, quam tempore maturationis. Cæterum homi-

(*) COCKEYS infans.
(**) Virgo nomine SPURRET.

hominem (*) obſitum his maculis hac conſtitutione durante noſco, qui morbum hunc ſuperabat; alii vero quinto aut ſexto die moriebantur, alii uſque ad decimum aut undecimum langueſcentes peribant.

Suppuratione durante variolæ admodum ſubſidebant, & cohærentium genus baſi ejus inſigniter dilatabatur; ita, ut, licet ſæpius poſt eruptionem ſatis diſtinctæ eſſe viderentur, nunc inter ſe confluerent. Sæpius macula in centro puſtularum in conſpectum veniebat purpurea, quæ pedetentim dilatata fiebat nigrior. Sic interſtitia quoque interdum pallidum, interdum lividum induebant colorem. Ominis ſymptomata peſſimi! Puſtulæ macula iſta purpurea haud inſignitæ, nulla obtegebantur incruſtatione lutea, ſed color ejus apparebat lividus, cinereus, & gradatim mutabatur in obſcuro nigram cruſtam.

Quæ conſtanter comitare ſolet variolarum confluentium maturationem, ſalivatio in nonnullis admodum parca, in nonnullis omnino erat nulla, cum ſatis parva materiæ inſigniter viſcidæ quantitas, injectione gargariſmatum ſoluta exſcrearetur: Binos homines adultos & plures infantes variolarum genere confluentium laborantes curabam, qui neque ſalivam exſpuerent, neque alvinis dejectionibus, niſi ipſis lenia exhibita erant cathartica, levabantur, & tamen morbum ſuperabant. Id re vera rarum admodum erat, ut occurrerent infantes, iſta ſalutari affecti diarrhœa, de qua SYDENHAMIUS aliique recte exiſtimant, illam ſalivationem hominum ætate adultiorum ſupplere. Nonnulli juniorum infantum e contrario per morbi decurſum ſalivam inſignem emitte-

(*) Domini LANG'S filius.

ſebant. In duobus infantibus, (*) altero quinque, altero ſeptem annos nato, prius nulla quam poſt decimum tertium accedebat diem, & tunc tam profuſa & tam diu continuabat, ut maxima cum difficultate illam primo purgantibus, & tunc cortice peruviano, adſtringentibus cæteriſque cohiberem. Equidem horum juniori Calomelani grana IV. exhibueram, antea vero jam erat purgata.

Ubi tumor faciei & colli valde durus, dolens & tenſus cum magna arteriarum carotidum pulſu & parca aut nulla conjunctus erat ſalivatione, ibi in ſtatu morbi generatim delirabat ægrotus. Quæ ſymptomata ſæpius exiſtebant mortifera. Illorum glandulæ maxillares & parotides, qui ſanitatem recuperabant, per inſigne temporis ſpatium poſt plenariam variolarum deſquamationem (quæ tamen ſatis lenta procedebat,) tumidæ remanebant & induratæ, neque hi prius evaneſcere volebant tumores, quam poſt repetitas purgationes, eaſque cum calomelano, cæteriſque.

Procul dubio hi tumores oriebantur a materia admodum viſcida, has glandulas obſtruens, faciei tumorem indurans, ſalivæ fluxum, & aliqua ratione circulationem per carotides externas impediens: quibus ex cauſis, cum plus ſanguinis per internas impellatur, inflammatio cerebri & delirium aliqua ex parte excitari poteſt; & dum hoc quoque incidit, quando ſanguis materia acri ex puſtulis reſorpta ſcatet, delirium tali in morbi ſtadio multo periculoſius reddit, quam in ipſo apparatu, ubi illud fere conſueto incidere ſolet more. In hac rerum ratione, ſanguinis emiſſio, clyſmata emollientia, eccoprotica, diluentia copioſiora omnino ſunt neceſſaria.

Qua

(*) D. WALLIS puerulus, & D. COLLIER'S filia.

Qua occaſione hæc moveri poteſt quæſtio; utrum in ſalivatione valde viſcida & deficiente, tumore faciei duro & tenſo, quædam mercurialia (qualis eſt juſte præparatum Calomel) cum utilitate in ipſo quoque maturationis ſtatu dari poſſint, nec ne? (Sæpius cinnabarim bono exhibui cum ſucceſſu). Varia proſtant exempla, quæ talem medendi methodum comprobare videntur; mihique tantùm unica objecto materialis con tra iſtam eſt nota; quæ hæc eſt: Mercurii pondus motum ſanguinis augendo ut febrim quoque augeat, neceſſe eſt; aſt profecto calomel poſt incruſtationem, ubi febris ſubſiſtebat ſecundaria, ſine ullius mali effectus genere; potius dicam, exoptato cum ſucceſſu exhibui.

Nihil tam certe viſcidos tenaceſque humores reſolvit quam hoc, ſi cum copioſis diluentibus liquoribus conjungitur, nihilque ita illos, ut per convenientia eliminentur colatoria, præparat. Quod enim ad oxymel ſquilliticum, injectiones ſimiliaque in deficiente ſalivatione attinet, illud ſane vomitu interdum irritat glandulas membranæ Schneiderianæ, ut ſe liberent a contentis; injectiones tantum ductuum ſalivalium detergunt orificia: præter hos vix alium certum edunt effectum; ſiquidem materia viſcida obſtruens in intima glandularum parte & quoque ipſo in ſanguine hæret.

Methodus hæc ſpeciatim tali variolarum generi convenire videtur, qualem nunc deſcribam; in quo omnis, quam quis mente concipere poteſt, valde viſcidi humorum ſtatus occurrebat indicatio. Sanguis e vena emiſſus ſemper, & præcipue in morbi ſtatu quam maxime erat viſcidus.

Sæpius

Sæpius parca vel nulla aderat ſalivatio: quæ in genere ſumme erat glutinoſa: ita ut, ſæpius materiam cum digitis ex ægrotorum ore detergere, opportebat nutrices: & ſine largiſſimo potu ea ſubito ceſſabat. Diarrhœa admodum raro in infantibus accedebat. Cito exſiccabantur veſicatoria. Urinam cruentam, durante hac conſtitutione, emiſſam fuiſſe, percepi a nemine. Ubi triſte hoc accidit ſymptoma, ſanguinis craſis diſſoluta eſſe videtur, (ut bene obſervavit LISTERUS) e contrario, ſanguinem nimis compacta & viſcida diatheſi relata arguunt ſymptomata.

Humorum ſtatus iſte, durante hac conſtitutione aliqua ex parte ad minimum dependere potuit ab ſingulari tempeſtatis ſiccitate & ventis continuo fere a ſeptentrione & oriente venientibus, qui menſibus Octobris, Novembris, Februarii & tandem Martii apud nos obſervabantur. Januarii a medio uſque ad Aprilis medium tempeſtas erat ſiccior, quam cognitum erat hac in regione nemini, ubi profecto in genere pluvia magis continua, quam in plurimis Angliæ locis decidere ſolet; ſiquidem pluvioſa tempeſtate ſatis famoſum eſt Plymuthum.

Notatu digna hæc aereæ temperiei mutatio procul dubio ſingularem aliquem in corpore humano edere debuit effectum; cum ventus ſatis frigidus, ut tenujor ſanguinis pars tantum perſpiratione abeat, permittat; neque in tali tempeſtate corpus multos humores diluentes ex aere imbibat (ut KEILIUS obſervavit). Hinc liquores diluentes copioſe bibendi patet neceſſitas, quæ
cum

cum in hoc morbo ſemper conveniant, ita eo magis, ſi iſte tali tempeſtate eveniat, ſumme eſt neceſſaria. Atque, methodum *D.* ANDRY'S, qua balnea ex aqua calida & lacte aut lacte calido ante eruptionem inſtituit, variis ex rationibus in tali aeris conſtitutione convenire, exiſtimo. Nulla, præter eam, non uſui eſſe, contra iſtam moveri poterit objectio.

Subſolano per ſeptem vel octo dies menſibus Octobris & Novembris ſummo cum impetu flante & mox poſt illum, ægotos fere omnes, quos tunc variolis laborantes vidi, vix ſalivæ fluxum perſenſiſſe, ſpeciatim obſervabam. In primis vero homo adultus, (*) variolis confluentibus ſevere admodum affectus, per totius morbi decurſum ne guttulam quidem exſpuebat; Die 18. violenta corripiebatur pleuritide, ſed ſanguinis levabatur miſſione. Sanguis adeo erat viſcidus, ut vix unquam viderim. Notatum fuit a LANCISIO, homines morbis pectoris affectos parum valde exſpuere, quando frigidi, ſicci venti ab oriente veniunt; & hoc eſt, quod obſervavi frequentius: atque hac ex ratione apparere videtur, cur tali tempeſtate quidam aſthmatici in genere paroxyſmo ſint obnoxii.

Manuum tumor non tam conſueta ratione faciei detumeſcentiam, durante hac conſtitutione, excipiebat, quam in aliis variolis obſervavi epidemicis. Quidam admodum parvo vel potius nullo prorſus afficiebantur tumore. Crurum pedumque tumor prius accedebat rariſſime, quam donec ægrotus erectus ſederet, & tunc quoque dolore afficiebantur iſtæ partes majore.

Sæpius hanc rem animo perpendi, utrum iſte ma-

(*) BETTY BODDY.

manuum tumor, qui iſtam faciei ſubſequitur, aliqua ex parte ab ultima inflammatione & ſuppuratione puſtularum his in partibus dependeat: cum dolor & inflammatio ſtimulum humores ad partem dolentem allicientem efficiant. Ac ſpeciatim obſervari poteſt, dolorem manuum brachiorumque plerumque illo tempore evenire, quando ſalivatio ceſſare incipit: ita ut manuum tumor, aliqua ratione ſuccedaneum quid ſalivationis eſſe, probet.

Ubivis obvia eſt obſervatio, brachiorum manuumque puſtulas uno vel altero die tardius, quam iſtas faciei, & illas femorum pedumque tardiſſime inflammari maturarique, quæ quoque crurum tumorem iſtum manuum excipere, eſſe poteſt ratio. Eo magis huic opinioni ſubſcripſi; quo ſæpius inſignem manuum tumorem, (cum puſtulæ valde dolerent & inflammatæ eſſent) iſtumque in diſcretarum genere, ubi parcæ vel nullæ in facie aderant, obſervavi. In genere, quo magis tumor dolet, eo magis ejus intumeſcit margo: indeque ſequitur, ut tumor partis in comparatione a dolore puſtularum earumque numero dependeat.

Hic ex cauſis, ego uſum epiſpaſticorum circa carpum applicatorum paulo ante, quam tempus, quo tumorem manuum accedere debere expectamus, (in primis ſi ſymptomata adſint urgentia) urgerem, cum illa ſunt ſtimuli, a quibus non humorum ſolum attenuatio & ad partes derivatio dependeat, ſed quoque illos evacuet & ita conveniens materiæ morboſæ antea ope ſalivationis (nunc aliqua ex parte ſuppreſſæ) ejectæ, præbeat colatorium.

Nuchæ applicata veſicatoria ſæpius ſummas colli

colli dolores & deglutiendi leniunt difficultatem; quæ interdum ægrotum tertio variolarum ſtadio afficiunt graviſſime, cum per alias vias derivent humores. Quid? quod nonnulli, quibus citius applicata ſunt veſicatoria, & ut inſigniter ſuppurarent, continuabantur, minore tumore minoreque affecti fuerant ſalivatione, quam in comparatione cum morbi vehementia convenire videretur ſine ullo tamen ægroti damno: cum veſicatorii effluxus ſalivationis defectum suppleret. Igitur rationi quoque conſentaneum eſſe videtur, ut, quando humoris noxii translationem ad manus expectamus, id, quod natura ipſa molitur, in ejus fluxu ibidem promovendo & exitum efficiendo operam ponamus.

Quam utiles hujus indolis ſint evacuationes, ante aliquot annos in caſu feminæ cujuſdam, cujus curam ſimul cum digno, eruditoque hujus civitatis medico *D.* SEYMOUR habebam, cognoſcendi occaſio ſeſe mihi obtulit; ubi per prodigioſam veſicatoriorum nuchæ, auribus & brachiis applicatorum evacuationem, non minus quoque per copioſum urinæ fluxum efficiebatur, ut neque tumore neque ſalivatione per totum variolarum confluentium valdeque periculoſarum decurſum afficeretur, nihilo tamen ſecius iterum reſtituebatur.

Quilibet in praxi verſatus, materiæ morboſæ translationem ab alia in aliam partem utilitatem ſæpius attuliſſe maximam, ubi in primis ejus adfuit evacuatio, obſervare debuit. (Omnes quidem evacuationes criticæ hujus ſane ſunt indolis.) Ego vero exiſtimo, quoties non abſceſſus, apoſtema aut femorum tumor evidens febrim determinandi fuit remedium? Hoc in me ipſo ante aliquod

quot annos Lutetiæ Pariſiorum ſum expertus; cum febre violenta, inflammatoria cum delirio laborans die nono verſus noctem inſigni dolore manuum brachiorumque corriperer, quo ſentito, conſilio duorum virorum dignorum facultatis, adhuc viventium, qui tunc temporis ſtudiorum meorum ſocii, apud me vigilias agebant, manus per longum temporis ſpatium aquæ immergebam calidæ. Brevi tempore meæ manus intumeſcebant, & quatuor vel quinque horarum ſpatio & delirium meum & febris prorſus ceſſabat, licet & manuum tumor & dolor aliquamdiu remaneret.

Itaque ſi quibuſdam in caſibus natura tam inconſuetas ſe a morbis liberandi eligat methodos, quanto magis in promovendis ejus operationibus in morbo eſſe debemus, ubi metaſtaſis materiæ morboſæ ad manus & pedes in genere conſueta & ſalutaris eſt.

Hoc reſpectu procul dubio BAGLIVIUS jubet, ut ſpongiæ decocto calido emollienti imbutæ manibus pedibuſque in variolis applicentur; atque hoc, ait, magno feciſſe cum ſucceſſu. Ego vero non minorem perſpexi a veſicatoriis brachiis cruribuſque applicatis; aſt tunc quoque ægrotis imperabam, ut copioſe tenue lactis ſerum aut ſimile biberent, quod maxima ex parte cantharidum acrimoniam tollebat.

Antea vero, quam huic paragrapho finem impono, delirium variolarum eruptionem comitans cataplaſmatum emollientium applicatione ad pedes, in primis in infantibus inſigniter levari, quin referam, facere non poſſum. Hoc profecto eſt, quod plerumque conſueta ratione applicare ſoleo, quando in morbi principio conſilium a me petitur, atque illud variis in caſibus

materiam varioloſam ad hanc viam derivandi fuiſſe remedium, me credendi rationem habuiſſe exiſtimo; &, cum eruptionem in inferioribus partibus multo efficeret copioſiorem, inde facies & pectus experiebantur minorem, quam alias contingere potuiſſe, mihi metuendi ſupererat ratio.

Magna pedum teneritas, quæ poſt iſtorum applicationem accidere ſolet, nullius momenti eſt incommodum, in comparatione utilitatis ex illis expectandæ, & ita quoque ſunt dolores lancinantes ſæpius poſt uſum cataplaſmatum femora afficientes: non dicam, illos potius utilitatis ab eorum uſu exortæ eſſe argumentum.

In confluentium genere circa duodecimum aut decimum tertium diem generatim accedebat micturitio & dyſuria, & tunc quidem, quando nulla applicata erant veſicatoria. Si quando larga turbidæ urinæ ſubſequebatur copia, illam cito excipiebat urina, in qua multum ſubſidebat: ſi quando autem illa tenuis & limpida erat, parvaque in quantitate emittebatur, delirium, tremor, tendinum ſubſultus aliaque convulſiva ſymptomata cito ſubſequebantur.

Nullum ſymptoma in harum variolarum mutatione tam certo erat mortiferum, quam delirium, & (quod ego ſemper mali ominis in ſtatu omnis generis febrium exanthematicarum eſſe ſymptoma exiſtimo) dyſpnœa vel anheloſa reſpiratio: quod ſi ſanguinem, quam primum illa apparebant, emittebamus, ægrotum noſtrum ſervabamus; quo autem intermiſſo paucis horis damnum accedebat irreparabile.

Hominibus his variolis afflictis valde erat commune, ut octo vel decem puſtulæ inter ſe confluerent, & magnam veſicam materia limpida,

cruda

cruda repletam efficerent, quæ per aliquot dies poſt incruſtationem ita remanebat. In puella quadam, (*) quæ moriebatur, ſub iſtis veſicis obſervabam deſtructionem (mortifications). Neceſſe eſſe putabam, ut materia iſta, quam primum fieri poſſit, ope lanceolæ vel acus emittatur, ne exulceratio (ut fieri ſolebat, ſi ſibi relinquebantur) excitaretur; atque non poſſum, quin, hoc convenire, exiſtimem, idque eo magis, cum materiæ tenuitas facile efficiat, ut in maſſam ſanguinis abſorbeatur, & quo diutius relinquatur, eo reddatur acrior, ſiquidem illa nullam permittat concoctionem.

In duobus ægrotis, varias puſtulas ſanie cruenta repletas obſervabam, quorum alterum (**) morbum tam facile ſuperare, maxime mirabar, licet quoque genere laborabat confluentium.

Deſquamatio admodum erat lenta, cum cruſtæ nigræ per varios dies; quid? quod hebdomadas poſt earum mutationem adhærerent, dum magna purulentæ materiæ copia ſub illis hærens emanabat. Quæ admodum fœdas relinquebant cicatrices. Quo in caſu nullius rei applicatio effectum mihi videtur edidiſſe meliorem, quam crebriora ex lacte calido, vel aqua & lacte partibus applicata fomenta; quæ ſalia acria diluunt, illa abluunt, & cutim leniunt: Oleoſa linimenta poros obſtruendo, ſæpius nocent.

In uno alterove caſu ſub faciei manuumque cruſtis ſecedentibus puſtulas repullulaſcentes obſervavi. Quod ſpeciatim in puero accidit, qui maculis purpureis iterum obtegebatur. Hæ erant diſtinctæ, licet illæ ſummo in gradu eſſent confluentes.

Q 2 Nihil

(*) Virgo BOOSE. (**) D. BASS's infans.

Nihil tam certo poſt ſanguinis emiſſionem (ſi indicabatur) mitigabat & tollebat febrim ſecundariam, quam mitiora cathartica; qualia ſunt rhabarbarum, manna, tartarus, infuſum ſennæ ſimiliaque. Calida ſcammoniata, aloetica purgantia non adeo convenire videntur, ad minimum ſi initium ab illis ducere velis. Hæc decimo, undecimo, duodecimo vel decimo tertio die exhibebam, quando pulſum ægroti celerem, calorem febrilem, linguam ſiccam, capitis dolorem, irrequiem, anxietatem, & alia febris putridæ ſymptomata deprehendebam. Quorum uno vel altero ſemel vel bis repetito, calomelanum exhibui & poſt iſtud purgavi. Hæc noſtra erat methodus generalis illaque utiliſſima.

Non poſſum, quin exiſtimem, mundum doctiſſimo *D.* FREINDIO reliquiſque viris, qui noſtræ Facultatis ſunt ornamento, gratias debere maximas, quod hanc methodum introduxerint in ejuſque favorem ſcripſerint. In praxeos meæ principiis ego MORTONI auctoritate fretus, corticem exhibui peruvianum, ut febrim cohiberem ſecundariam; in primis, quando illam (ut ſæpiſſime fieri ſolet) evidenter intermittentem inveniebam; aſt, illum meæ expectationi ullo modo cum ſucceſſu reſpondiſſe, vix dicere poſſum: Non, quin poſt proprias purgationes, cortex admodum conveniat in extinguenda ad hecticam ſanguinis proclivitate, quæ ſæpius variolas conſequitur, cui, ſi frigidum regimen & lac aſininum (niſi illud idioſyncraſia vetat) conjungantur, nos fortaſſe tantum quantum in viribus eſt medicinæ, præſtitimus.

Methodo hac tempeſtive purgandi in cohærentibus & confluentibus variolis, nonnullos ab

maxi-

maxime imminente periculo ſervatos perſpexi, quorum reſtitutio potius reſurrectioni ſimilis eſſe videbatur.

Quæ profecto unica primas vias purificandi eſt ratio, quippe quæ fœtidarum acriumque impuritatum a glandulis inteſtinorum ſecretarum pondere replentur, de quibus, durante morbi hujus decurſu ab eorum officio recedere, judicari nequit: idque eo magis, cum cutis pori eo tempore per puſtularum incruſtationem admodum obſtipentur, inde inteſtinorum glandulas potius plus, quam conſueto modo ſecernere, ut credamus, rationi conſentaneum eſt; ſiquidem in medicina ſententia eſt aſſumta, ut alterius evacuationis imminutio alterius ſit augmentum: in primis ubi talis peculiaris, qualis cutim inter & inteſtina obſervatur conſenſus.

Quod ſi hæc ita ſunt, excrementa per hebdomadem aut diutius retenta, pondereque ſuo magnam comprimentia arteriam, ſanguinis liberiorem ad inferiores partes tranſitum impediunt, & ita illo obruitur cerebrum. Hinc iſta deliria, coma, cæteraque, quæ tam frequenter hoc morbi in ſtadio imminent. Num porro mente concipere poſſumus, putrida ſanguinis nunc putridi recrementa conjuncta fortaſſe cum variolarum internarum pure, & aliquam partem morboſæ materiæ per faucium glandulas ſecretæ & per occaſionem deglutitæ additam gerentia non magnopere nocere debere, quando in inteſtinis relinquuntur? ubi magis magiſque reddita acria, (prouti quoque ſuccorum noſtrorum maxime balſamicorum ſeſe manifeſtat natura, ſi illi extra circulationis aream hærentes perpetuo corporis calore exponuntur) chylum aut liquores hauſtos

contaminant, reſorpta ad ſanguinis maſſam deferuntur & ita efficitur pabulum ipſius febris, quam natura per ipſam hanc viam, aliqua ad minimum ex parte expellere tentabat.

Ac re vera quam inſigniter infenſas, fœtidas, largaſque dejectiones hoc in morbo poſt clyſmatum uſus & magis in primis poſt purgationes obſervamus? in ſtatu puta aut declinatione: Ita ut hæc valde putrida materia diu in inteſtinis hærens & ita magis magiſque increſcens, tandem tam fiat virulenta, ut illa corrodat & ipſam illam afferat diarrhœam aut dyſenteriam, quam fruſtra timebant, ne excitaretur leni cathartico; ſiquidem facile ſemper fieri poterit, ut (ſi neceſſe ſit) ejus vim infringamus leni opiato cæteriſque.

Quoties non deprehendimus, hecticum calorem a primarum viarum cacochymia, in primis in infantibus oriri? quo in caſu, parva rhabarbari doſis aut parvum ſtomachum leniter purgans plus efficere poteſt, ut in febrim removeatur proclivitas, quam tota corticis libra. Illud ſane ſatis crebro fieri ſolet, ut cognoſcamus, corticem ipſum in ejus uſus principio leniter purgare; atque, quibuſdam in caſibus meliorem ita edere effectum, pro certo habeo. Nonne, quaſdam febres intermittentes unico juſto tempore exhibito vomitorio curatas fuiſſe, vidimus? Atque hoc effectum eſſe non per meram aliquam concuſſionem & agitationem vaſorum ſanguiferorum, generis nervoſi cæterorumque, neque ita ut attenuantia agendo, ſed per ſaburræ febriles paroxyſmos alentis ex ventriculo expulſionem; ac hoc peculiari magis ratione manifeſtum eſt, in febribus repletioni ventriculi haud raro ſupervenientibus. Inde, parvam interdum corticis quantitatem poſt vomito-

torium plus valere, quam multo majorem ante illud exhibitam, apparet. Itaque ſi in primis viis putrida hæret materia, quæ aliqua ad minimum ex parte febrim alit ſecundariam, cur non aliquo leni vomitorio vel purgante, prouti præcipue convenire judicatur, in ea removenda operam ponamus?

Cui medendi methodo objecerunt & objici poteſt, eam a peripheria ad centrum allicere noxios humores: aſt reſponſum redditum fuit, purgationes potius peculiari modo defendendas eſſe, cum incruſtatio inchoata & materia nimis ſit ſpiſſa, quin abſorberi poſſit.

Quod ſi neque propria vi, neque artis auxilio valeat natura, ut materiam coerceat morboſam, ne ad partes feratur vitales, ſed per ejus infelicem translationem hujus ponderi ſuccumbere videtur, uti poſt ſubitaneum tumoris faciei & manuum regreſſum; poſt præmaturam ſalivæ fluxus aut ſimilis rei ſuppreſſionem fieri ſolet; nonne neceſſe eſſe videtur, ut materiam infenſam per aliud quoddam emiſſarium eliminandi operam adhibeamus? ut in præſenti caſu per inteſtina, quæ multo facilius, quam cutis pori, viæ uriniferæ, vel ductus ſalivales ad evacuationem ſtimulantur.

Quando ſalivæ fluxus naturaliter ceſſat, (mea quidem opinione) profecto neceſſarium eſſe videtur, ut alia quædam loco hujus promoveatur evacuatio. Quo tempore cardiaca vel alexipharmaca medicamenta nullo modo huic methodo (ſi neceſſe eſt) ſunt contraria. Hanc viam in infantibus eligit natura, quibus plerumque moderata diarrhœa maxime eſt utilis, cum eam ſalivationi adultorum hominum feliciter ſubſtituat.

Quam neceſſarium interdum ſit, materiam

acrem in inteſtinis hærentem & quidem in medio ipſius ſuppurationis evacuare, ſeqnens evincet hiſtoria.

Ante tres circiter menſes hominem (*) triginta circiter annorum variolis laborantem curabam. Incidit, ut quarto ab eruptione die colica violenta bilioſa, cui antea fuerat obnoxius, affligeretur; qua in ſummum vitæ periculum redigebatur. Variolæ ejus collabaſcebant & non minus palleſcebant, quam interſtitia: pulſus erat quam maxime languidus & prodigioſus tremor viſcido cum ſudore conjunctus afficiebat ægrotum. Ut ipſi bina injicerentur clyſmata, alterum mox poſt altero reddito, jubebam: cæterum Laudan. ſolid. gr. ß. Croc. anglic. gr. IV. Theriac. Andromach. ʒß. quarta vel ſexta hora cum julapio teſtaceo deglutienda præſcribebam. Laudano ter aſſumpto per totam noctem bene dormiebat. Tempore matutino puſtulas rotundas, floridas & turgidas deprehendebam. Morbum vir ſuperabat, licet nonnullis diebus poſt ejus mutationem colicis iterum corriperetur doloribus, quibus poſt purgationem cum calomelano cæteriſque & opiatorum uſu cito liberabatur. Ante & poſt eruptionem de magna ſpirandi difficultate cum importuna brevi tuſſi & dolore ſub ſterno violento hic conquerebatur æger; quam ob rem ut unciæ ſedecim emitterentur ſanguinis, qui valde erat viſcidus, imperabam.

Adultorum hominum, quibus infortunium contigit, ut hoc afficerentur morbo, moriebantur plurimi; quorum in numero erat matrona quædam nobilis ſeptuaginta & duorum annorum; homi-

(*) Thom. HODGE.

homini tantorum annorum. inconſuetus ſane vitæ exitus.

Harum vero variolarum virus ſingulari ex re notatu reddebatur dignum, quod feminæ (licet antea jam variolis iſtiſque ſeverioribus laboraſſent quædam) perpetuo cum ægrotis hac variolarum ſpecie affectis vel infantibus vel adultis verſantes quibuſdam plerumque puſtulis in facie, manubus & pectore erumpentibus & puſtulis variolosis accurate ſimilibus afficerentur, quæ procul dubio a variolarum incruſtatarum materia cutim harum partium inficiente ortum trahebant. Quæ quoque puſtulæ veris variolis omnino ſimiles erumpebant, matureſcebant & decidebant. Mihi nota eſt fœmina, (*) quæ plus, quam quadraginta in altero faciei & pectoris latere gerebat, cum infans, cui auxilio erat, ſæpius hujus lateris partibus incumberet. Illas, quibus cutis erat tenerior, & quæ malignarum variolarum affectis ægrotis adſtabant, eruptionibus his præ reliquis fuiſſe afflictas, obſervavi. Cujus indolis plura occurrebant exempla.

In hujus conſtitutionis principiis variolæ multo erant maligniores, quam hoc vel binis proxime præterlapſis menſibus. Licet vero iſtæ crudeliſſime ſævirent, quidam tamen valde benignis laborabant infantes, neque ullo, quam conveniente purgante poſt illas indigebant remedio.

IV. DIS-

(*) Dom. HICK's nutrix.

IV.

DISSERTATIO DE AURORA BOREALI,

die 8vo Octo. 1726. apparente, & deſcripta in epiſtola ad editorem commentationum philoſophicarum R. S. A. (*)

QUanquam phænomenon, *aurora borealis*, dictum, haud raro in ipſa hac mundi parte, annis proxime præterlapſis viſum eſt, nos tamen hactenus admodum imperfectas de cauſis ejus exortus feciſſe conjecturas, exiſtimo. Itaque cum ego credam, fore, ut fidelis hujus phænomeni hiſtoria multo plura ad varias ejus cauſas detegendas conducat, ut vobis ſequentem diſſertationem de illo, quod die 8. Octobris apparuit & prouti apud nos Plymuti obſervatum fuit, ob oculos ponam, mihi ipſi erit honori. Hora ſexta & dimidia Jovem jam ſplendentem percipiens, Teleſcopium meum ad iſtum obſervandum applicabam, cum ſubito ſtriæ quædam lucidæ decem circiter gradus ſupra horizontem in N E. apparerent, & hemiſperium multo clarius illuſtratum videretur. Luminis borealis hoc eſſe initium exiſtimans, oculos meos ad horizontis longitudinem a W. ad E. ab exortu ad occaſum ſolicite dirigebam,

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions, anno 1726. Num. 395. p. 132.

bam, propiuſque verſus W apicem perſpiciebam, qui quaſi ingentem rubicundo igneum repræſentabat obeliſcum, ad altitudinem triginta vel quadraginta graduum ſeſe extollentem, qui horizonti ad perpendiculum & quidem cum ejus baſi inſidere videbatur. Ejus apex fere ſtellam coronæ ſeptentrionalis ſplendentem attingebat: cui columna quædam anguſtior vel duæ ejuſdem coloris & formæ propius adſtabant. Interim verſus exortum inſigniter increſcebat lumen, & multo fiebat vividius, prouti luna, ſi a nube coruſcante obtegitur. Sic ſe in columnas diſtribuebat, quæ vix ad magnam extendebantur longitudinem, ſubitoque evaneſcentes tuncque ſubito revertentes non in N. E. ſolum, ſed quoque magis verſus Septentrionem apparebant.

Horæ quarta circiter parte ab obſervationis meæ initio præterlapſa, ab arcu quaſi vel baſi nigra (qua ratione melius hoc exprimam, neſcio) extenſa per totam ſeptentrionis horizontem, qui illam proprius in apicibus. W & E. N. interſecare videretur, plurimæ pyramidales luminis columnæ quocunque ex loco oriebantut; mox hic, mox illic inæqualis craſſiciei, altitudinis & ſplendoris: nunc ſubito emicantes, nunc non minus ſubito evaneſcentes, columnæ vero iſtæ a ſeptentrione exortum verſus poſitæ magis ſplendentes micabant & lucidæ erant, illis occaſum verſus, quibus igneus magis & rutilans erat color. Magnæ in occaſu columnæ ſemper eadem remanebat poſitio, altitudo & forma, prouti obſervabam, dum oculum meum verſus murum E. & W. propiorem dirigerem.

Inter arcum & horizontem nebula quaſi nigra, obſcura apparebat, ex qua undique lucis radii

dii emitti videbantur: quam nigra vero iſta apparebat, ſtellæ tamen ſatis clare per illam diſcerni poterant. Qui arcus dum primum appareret, vix altius quam quindecim aut viginti gradus (in ejus parte altiſſima) ſuper horizontem extolli videbatur, at ejus altitudo continuo increſcebat, & ex omnibus ejus partibus quolibet temporis momento emittebantur luminis coni, qui omnes ad unum Zenith propiorem vergere videbantur punctum, ut circuli aut arcus verticales globi verſus polos vergunt, licet illum nondum per varios gradus attingerent.

Hora ſeptima audita columnæ occaſum verſus tam ſplendentes & vividæ apparebant, ut illæ in E. exceptis illis w. propioribus. Etſi arcus crura interdum admodum ordinata beneque definita viderentur; interdum tamen, mox in media, mox in alia, mox iterum in alia parte deprimi videbantur; ac nonnunquam iſta cum pari anomalia extendebantur: illud vero certum erat, nullum lumen aut luminis fulgur durante toto hujus phænomeni tempore apparuiſſe in area nigra arcum inter & horizontem incluſa; tunc quoque, cum ſummum ejus culmen attigiſſet, quod contigit decem circiter aut duodecim minuta ante horam octavam; quo tempore quadraginta circiter gradus ſupra horizontem eſſe judicabam. Tunc ex omni arcus parte, inprimis vero ex ſeptentrionali vel parte ejus ſumma radii emanabant, aut lucidæ columnæ mirum in modum ſplendentes & coruſcantes projiciebantur incredibili cum velocitate verſus verticem, ubi convergentium columnarum cuſpides propius a centro abeſſe videbantur: & ſubito ab omni cœli plaga, coruſcantes, micantes luminis radii Zenith verſus emitteban-

bantur; qui circa ſextum aut octavum gradum verſus meridiem collecti, parvum circulum duorum aut trium graduum in diametro formabant, cujus limites multo erant lucidiores quam centrum: Cygni caudam inter & Lacertæ hic formatus eſſe videbatur circulus, tunc propius meridiano.

Pulchrum hoc ſpectaculum cum ſtella, quam nobiliſſimus Ordo periſcelitis gerit, comparari poteſt, radii vero pyramidales erant inverſi; atque radii aut ſtriæ partis meridionalis longitudine ſua multum ab illis ex N. differebant; inprimis iſti directe ex S. provenientes vix decimum quintum a centro aut circulo attingebant gradum, cum e contrario illi ex occaſus & exortus plagis provenientes admodum eſſent longi & fere ipſum horizontem attingerent; inprimis in apicibus E. & *W*. radii ipſi continuo & celerrimo tremore agitati varios valde ſplendentes per varias horæ ſecundas monſtrabant colores, qualis erat albus, ruber, viridis, luteus: ſed maxime permanens & prædominans color erat igneus ruber, cum carmoſini & ſplendentis perlarum coloris aſpectu: Radii rubri plerumque ex occaſu oriebantur, atque color iſte continuabat uſque ad plenariam hujus radiati cœli diſſipationem: reliqui evaneſcentes fumo quaſi tenui ſimiles diſparebant. Radiatarum harum columnarum tremor, ut fulgur, tam celer erat, neque ceſſabat.

Quod mirandum ſpectaculum ſuper nos in plenario ſuo ſplendore per tria vel quatuor minuta remanebat, quo tempore radii verſus centrum prodigioſa cum celeritate projiciebantur, neque ab illo rejiciebantur. Interdum illi vaporibus ex fornace calcaria vel tempeſtate admodum calida

ex

ex terra aſcendentibus ſimiles tremiſcebant, & tota hemiſphærii ſuperior pars convulſione quaſi affecta eſſe videbatur.

Brevi temporis ſpatio amœna hæc evaneſcebat ſcena, & in parvas diſperſas & ſplendentes nubes diſrumpebatur, quæ ſemper motum tremulum retinebant; & ex illis mox hic mox illic erumpebant coruſcationes. Hoc quoque tempore varia ſtellis ſimilia meteora cadere obſervabam, prouti ſæpius ſerena ſplendente obſervatur nocte.

Licet noſtra cupola coruſcans paucis minutis poſt horam octavam auditam evaneſceret, a cœli tamen regione N. E. & N w. lucidæ continuo emittebantur coruſcationes, quæ prope Zenith inter ſe congredientes in ipſarum congreſſu momentaneos circuli arcus in ipſo fere loco ejuſdemque diametri, cujus ſupra mentionem injecimus, efficiebant. Nihil nunc proveniebat a meridie & raro admodum ex ipſa ſeptentrione. Ab occaſu exortæ coruſcationes ſemper magis rubicundæ & igneæ erant quam illæ exortus, quæ ſemper magis lucidæ ſplendentes apparebant.

Pulchri hujus phænomeni ſupra noſtrum caput hærentis toti eramus in contemplatione, indeque arcus alicujus lucidi per totum ſeptentrionis horizontem extenſi haud obſervabamus efficctionem, quæ ſimilis arcu Iridis lucidi, ſplendentis lutei coloris videbatur, ſub quibus omnibus quaſi admodum obſcura erat nubes; licet nos vero hæc Teleſcopio obſervantes, diſtinguere poteramus ſtellas minutiſſimas: ita ut obſcuritas tantum a magnitudine luminis mox ſuper illa penderet. Ab hoc, non minus, quam ab illo, admodum lucidæ, ſplendentes

tes omnibus ejus ex partibus oriebantur columnæ.

Nullæ ſub illis apparebant coruſcationes. Altitudo earum maxima eſſe poterat viginti aut triginta gradus. Columnarum nonnullæ quoque hujus arcus uſque ad Zenith radiare videbantur.

Circa horam nonam lucidus hic ſenſim ſenſimque evaneſcebat arcus, cum plurimis radiis lucidis vel columnis; valde ſplendens vero crepuſculum quaſi ſemper per totam ſeptentrionis horizontem remanebat, atque quædam admodum ſplendentes ex ſereno cœlo emitti videbantur coruſcationes: Hoc ſpeciatim magis obſervabatur in N. E. Circa horam undecimam quaſdam coruſcationes perpetuo erumpentes atque ſparſim columnas lucidas obſervabam; quædam parvæ nubes diſperſæ hinc illincque per hæmiſphæriam diſtributæ videbantur, quæ ſemper ejus motum erumpentem & tremulum retinebant. Septentrionis crepuſculum tam ſplendidum, quam unquam remanebat, & ita ad uſque horam ſecundam mane auditam continuabat.

Paucæ vero iſtæque parvæ per omne hujus phænomeni tempus obſervabantur nubes, atque aer erat ſerenus; aſt circa & lucidas inter columnas, quotieſcunque aut quocunque in loco illæ apparebant, aer admodum craſſus & nebuloſus erat; licet mox his micantibus flammis evaneſcentibus cœlum in eodem loco admodum clarum & ſerenum appareret. Quid? quod per ipſas quaſdam veras columnas poteramus perfecte diſcernere ſtellas. Cygni ſtellas ſplendentes per coronam ipſam ſe videre, nonnulli viri exiſtimabant nobiles.

Quod ad tempeſtatem phœnomenon anteceden-

dentem & ſubſequentem pertinet, ut de ea ſpeciatim agam non neceſſe eſt, cum vos brevi in obſervationibus meis meteorologicis illam accepturos eſſe videam. Tempus matutinum erat ſerenum, licet aer eſſet craſſus, & roris multum decideret: Mercurius erat ad triginta pollices. HAUKSBEII Thermometrum ad quinquaginta: parvus vel nullus ventus. Dies erat amœnus & calidus atque aer reddebatur multo purior. Veſper erat ſerenus & lenis ſpirabat ventus ex N. & W. Circa horam quintam temporis matutini inſequentis quædam generabantur nubes, atque aer erat admodum craſſus & nebuloſus, hora ſeptima nubibus obducebantur omnia, & paucæ decidebant guttulæ.

Quamquam antea plura parva auroræ borealis obſervaſſem phœnomena, hoc tamen pulchritudine, ſplendore & duratione omnia hujus naturæ unquam a me viſæ multum ſuperabat. Equidem iſtud die 6. Martii 1716. extra Angliam tunc vivens, haud vidi. Plymuthi, die 16. Octobris 1726.

V.

DUO
CASUS RARISSIMI,

Ex Epiſtola Viri doctiſſimi JOANNIS HUXHAM *ad* GUL. RUTTY, *M. D. R. S. Secr.* (*)

Nihil fere quam in pelvi renali & urinaria veſica calculos invenire frequentius: At quis unquam in ipſa urethra calculum ponderis unciarum quinque cum ſemiſſe invenit? En ideo caſum plane mirandum.

Viginti abhinc annis penis cujuſdam *Cookvvorthy* ob luem veneream, ad modum quaſi *eunuchi turcici* reſectus fuit: at vulnus nec probe curavit chirurgus, nec bene ſanavit; cicatrice quippe obducta vix ullum urinæ iter, urethra pene occluſa. Lotium exinde exiguiſſimo rivulo ſummoque niſu reddidit; brevique inter mingendum cruciatus magnus acceſſit; pauloque poſt in media, at ſuprema, parte ſcroti tumor parvus, ſenſim tamen auctus in magnam demum excrevit molem, lævum ad inguen quaſi vergens. Hinc urinam ejaculandi impotens prorſus factus ſtillicidio ejus continuo laboravit. Sed neque hac via, urethræ ſcilicet, omnem emulſit; enatis enim tribus quatuorve in ſcroto fiſtulis, par forte maxima lotii ex hiſce defluxit, pure ſubinde comitante. At ne ſic quidem tumor, jam durus admodum, vel minime decreſcebat, quinimo increvit uſque.

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions Anno 173●. Num. 413. p. 217.

Dira hæc inter tormenta, cum per plures jam annos miſer hic, neglectus omnino, miſerrimam pertraxiſſet vitam, ad noſtrum noſocomium tandem delatus fuit. Ibi menſe Julio elapſo, quum ſummo nixu urinam, ſolito quod dixit ardentiorem expellere, corpus incurvando maxime, contenderet, ingens hic prolapſus eſt calculus, quem jam tibi miſi; qui recens excretus uncias quinque cum ſemiſſe ponderis Avoird pependit. Eum mihi propere, quaſi monſtrum quoddam, mitti curabant noſocomii rectores. Rem certe, quod debui, plane mirabar, hominemque inviſebam continuo lacerum inveni ſcrotum, jam minime tumidum, manum puerilem facile admittens, & ex urethra calculum elapſum fuiſſe deprehendi.

Atqui id forſan haud parum miraculo adjiciat, quod magnum hoc lacerumque vulnus balſamo quodam terebinthino tantum oblinendo brevi ſanum evaſit, ni quod parva adhuc pateat urinæ fiſtula in ſuperiore parte ſcroti. Atque miſellus ille, cui ante calculi excretionem vix ulla ſe movendi potentia, commode jam ſatis obambulat.

Non ego quidem hunc calculum in urethra primitus fuiſſe enatum autumo, ſed ibidem loci ex arenoſa materia concretum maxime. Cum enim parvus forte calculus, ſemen quaſi hujus enormis, e renibus delapſus eſſet; & ob urethram fere occluſam, negato ultra itinere, in canaliculo ſubſtitiſſet, ſabulo perpetim appellente auctus in immenſam hanc molem tandem excrevit. Plymuthi. Id. Febr. 1729-30.

CA-

CASUS ALTER PERQUAM RARUS,

ex eadem epiſtola.

PEperit nuperrime domina quædam puellulam rite & eleganter ſatis conformatam, ni quod in regione lumborum infima eminuerit tumor, ſive ſacculus, magnitudinis quaſi pugni puerilis; cujus inſuper pedes ad nates uſque retracti poſituram ſartoris incoxantis exhibuerunt; nec eos movere ullo modo aut extendere, potuit. Mirum hoc & triſte parentibus viſum eſt, mirum & obſtetrici & matronis adſtantibus; meum ideo protinus conſilium petunt.

Tumorem hunc perluſtrando eum ejuſdem eſſe generis cum illis, quos TULPIUS Cap. XXIX. & XXX. Lib. III. Obſervat. deſcripſit, ſuſpicabar: iſtum ideo fomento aromatico & adſtringente foveri juſſi. Intra triduum autem ſero ſumme adeo diſtentus evaſit, ut jam extima tumoris membrana diſrupta fuiſſet; metuſque eſſet, ne rupto confeſtim tumore, ſerum ſemel & ſimul cum ipſa vita efflueret. Punctiunculam ergo ſuaſi, ut lympha ſenſim emitteretur, edito nihilo minus prognoſtico, ſive aperiretur tumor, ſive non, eum fore lethalem.

Infans interea inſomnis & ejulans parum dormivit, ad pulticulam vero ſatis apta.

Quarto adeo die tumorem aperuit chirurgus, facto largiore paululum, quam conſuluiſſem, orificio, ita ut omnis intra horas viginti effluxerit humor. Hinc languor ſummus & frequens deliquium ad biduum ſaltem: at nutrice ſana & julapio cardiaco cephalico refecta viceſimum ad uſ-

que diem vitam perduxit, quo frigidi ſudores & tremores oborti tremulam hanc lucem extinxere.

Inciſo corpore obſervavimus dorſalem medullam ad ultimam lumborum vertebram, nec ultra, pertigiſſe; ſed hanc inter & os ſacrum (ſi mavis primum os ſacrum) exiens per tumores ſive ſacculi membranas diſpertita fuit. Os ſacrum porro fuit ſolitum penitus, nec propagines nervoſas medullæ ſpinalis (quibus apud anatomicos cauda equina vocabulum eſt) ad crura pedeſque tranſmiſit; quinimo ne quidem perforatum fuit omnino.

In quibuſdam ſaltem a Tulpianis hiſtoriis ſupra citatis differt hæc noſtra; neque enim aliquid matri prægnanti negatum, neque vel ſe ictu aut fœtum imaginatione læſerat unquam, neque ſpina hujus infantis bifida aut lacera; quin etiam nec os ſacrum ſolidum, nec pedes contractos & immotos meminit TULPIUS. Quandoquidem ergo ſingulare quid habeat hæc noſtra hiſtoria, hanc ego tranſcripſi.

MOR-

VI.

DE MORBO COLICO SINGULARI.

Epiſtola Domini HUXAM *M. D. ad* JACOBUM JURIN *M. D. R. S. & Coll. Med. Secr.* (*)

VIr quidam Quadragenarius,illioſus, ſcorbuticus, inter optimates Damnonios haud infimus, nuper interiit, pietatem propter erga Deum, propter univerſam erga homines charitatem, ab omnibus maxime deſideratus.

Diu ille multumque colicis quibuſdam doloribus, inferiorem præcipue abdominis regionem infeſtantibus, laboraverat: flatu porro perpetuo & moleſto. His biennium circiter aut triennium ante mortem, acceſſere dejectiones bilioſæ, purulentæ, fœtidiſſimæ cum ſtrigmentis ſæpe mucoſis, ſæpe ſanguineis: ita frequentes inſuper, ut perſæpe intra tres quatuorve horas alvus vel vicies ſolveretur, perſiſtente uſque teneſmo: tandem quoque prodiere carunculæ fungoſæ, lividæ, tetræ, quarum aliquæ magnitudinis ſaltem nucis myriſticæ. At vero utcunque alvus citiſſime ægrotum plerumque exercebat; nonnunquam tamen, morbo præſertim ingruente, erat adſtricta valde cum horrendo tormento; nec niſi clyſtere

 ducta;

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions An. 1732. N. 422. p. 236.

ducta, aut catharticis irritata reſpondebat. Subinde interea quaſi famelicus oblata quæcunque vorabat; ſubinde ne quidem delicatula, vel ad dapes exquiſitiſſimas nauſeanti, placebant; Æger autem indies emacuit. Fuit illi urina parcior & ſemper biliosa: Color vultus luridus, ſæpe ſubflavus.

Tam dira, tam longa mala infracto admodum fortique plane animo pertulit, donec ſupervenerunt demum tumor pedum œdematoſus, delirium, facies hippocratica, ſudor frigidus & oleoſus, certa, eheu nimis certa! mortis prænuncia.

Varia fuerunt a variis præſcripta medicamina, iiſque utique in arte exercitatiſſimis celeberrimisque viris; ex ipecacuanha, ſcilicet *emetica, ſtomachica, deobſtruentia, glutinantia, balſamica*, adſtringentia, *clyſmata* multifaria, omnigena, incaſſum omnia, ni quod Laudanum, ad breve tempus foret miſero ſolamen. Quid Aq. Briſtol. & Bathomenſis, quid Spadana & Pyrmontenſis; quid obſtinata, quid accuratiſſima e lacte & vegetabili diæta potuerint, inani omnino opera experiebamur; utut per breves aliquot dies paululum aliquando recreatus videretur.

Sicut vir optimus, dum viveret, omnibus prodeſſe alacriter, aſſidue ſtudebat; ſic, vel moriens, ſe publico devovit commodo; rogans obnixe, ut, cadavere inciſo, cauſam morbi tam pertinacis, tantam eludentis artem, perſcrutaremur; ut melior forte, detecta nempe cauſa, pateret medendi methodus, ſi quis alius forſan tali corriperetur morbo.

Aperto abdomine perſpeximus omentum conſumptum plane & putridum, hepar prætumidum & ſcirrhoſis tuberculis, ſubalbidis, duris refertum;

tum: veſiculam felleam bile ſubnigra ſemiplenam; totum duodenum cum vicina coli parte eodem colore perfuſum: Pancreas maxime ſcirrhoſum; mediam ilei partem ad quinque fere digitos inflammatam & ferme lividam. Renes erant ſani ſatis, nec glandulæ meſentericæ æque ſcirrhoſæ ac expectaſſemus.

At, quod maxime notandum, pars coli inteſtini ſuprema, quam veteres cœcum nominarunt perperam (cum id potius ejuſdem appendici, ab iiſdem ita nominatæ, conveniat) in hocce cadavere non, quod aſſolet, reni dextro, ſeu potius internæ peritonæi laminæ renem contegenti, adnexa fuit, mediante appendice vermiculari, ſed in pelvim delapſa tres circiter infra Tulpii valvulam digitos cum ſuperiore parte inteſtini recti firmiſſime concreverat: Porro levius adhæſit peritonæi tunicæ ſuper veſicam urinariam expanſæ, ſurſum inde reflexa, faciens cum ſuperiore inteſtini parte (ſi ita dicam) angulum valde acutum, ſub cavo dein hepatis aſcendens & infra ventriculi fundum porrecta deſcendebat more ſolito & in rectum deſinebat. Cum primum autem notavimus ambo inteſtina & ſupra infraque adhæſionem gagræna affecta eſſe, ſuſpicantes hic latuiſſe fundamenta malorum, caute admodum lente proceſſimus ſcalpello in primis aperiendo rectum inteſtinum, quod ubi factum, vidimus internam tunicam *ſphacelatam* omnino, nigram quaſi atramento imbutam & maxime putidam; huic porro adhærentes ſex, ſeptemve carunculas ſubnigras, fungoſas, quarum minores magnitudine nucem avellanam æquabant. Perſcrutantes ulterius, ulcus percepimus ex hoc inteſtino in colon, ubi cohærebant, penetrans, digito mediocri facile patens:

inteſtina vero adeo putrida, ut vix tactum ferrent leviorem. Majorem coli partem excrementis induratis obſervavimus infartam, etſi plures liquidas alvi dejectiones habuit, paulo ante mortem; tenuioribus nempe directe in inteſtinum rectum per ulceratum orificium tranſeuntibus; ſolidioribus autem in colo reſtantibus. Veſica urinaria fuit flaccida valde, intuſque muco ſubruſo oblita.

En fidam utique, licet minus elegantem morbi hiſtoriam! en quid inciſo corpore perſpectum! ex quibus conjectura haud difficilis, quæ fuerit cauſa morbi: ex anatomicis enim notum eſt, quod concretio inteſtinorum inter ſe aut cum peritonæo, motum periſtalticum minuat maxime. (*)

Unde ad locum conglutinationis tarda admodum debiliſque excrementorum impulſio, eorundem congeſtio, remora ſequentibus; forte duris & acutis lædentibus, qualia oſſa prunorum deglutita, aut tale quid; forte acribus & bilioſis humoribus non ſatis valide motu vermiculari propulſis, ſed ad angulum coli acutum ſubſiſtentibus; exinde aut inteſtini inflammatio, aut corroſio, ulcus denique ſequebantur; tandemque, in homine valde cachectico, gangræna.

DIS

(*) Vid. COWPERI Anatomiam Explic. Tab. 34.

VII.
DISSERTATIO
DE
POLYPIS

ex nautarum ab India occidentali Plymuthum proxime revertentium corde extractis.

Ex epiſtola JOANNIS HUXHAM *M. D.* *ad* D. MORTIMER *R. S. Secr.* (*)

TIbi, Domine, mittere auſus ſum ſequentem relationem, quam aliqua notatu continere digna, exiſtimo. —Quod ſi eam dignam judicas, quæ Regiæ Societati cognita reddatur, ut ipſi iſtam tradere velis, a te peto.

Tempeſtate maxime ſicca frigidaque menſis Februarii & Martii præterlapſi, nautarum varii navibus bellicis, quibus nomen *Deptford* & *Dunkirk*, ab India occidentali advecti tuſſi brevi, importuna, aſthmatica abſque ulla exſcreatione afficiebantur. —Aderat violenta & fere continua cordis palpitatio, cum perpetuo intermittente, tremulo, formicante pulſu & perpetua anxietate, dolore & cordis lapſu (ſinking of the Heart) prouti appellabant. —Spiritum maxima cum difficultate trahebant, & vix lectulo jacere abſque ſuffocatione poterant. —Humeris quaſi innitebantur capita & facies erat pallida & triſtis. — Lateris dolore affligebantur nonnulli, licet vix ulla appareret febris.

Plus

(*) Vid. Philoſophical Tranſactions, Anno 1742. Num. 464. p. 123.

Plus quam viginti homines tali modo verſus menſis Martii finem brevi temporis ſpatio e vivis tollebantur, licet ſanguine detrahendo, vomendo, veſicatoria applicando, attenuando, diluendoque omnis adhiberetur cura & opra.

Quo facto, ut bina mortuorum, quadraginta circiter annorum, cadavera mox diſſecarentur, imperabat Dom. WYATT, chirurgus noſocomii primarius, non minus egregius, quam cautus practicus.—Quorum quolibet in corde, polypos reperiens monſtroſos, ea directe propriam in domum reportabat, mihique omnem rem referebat: ubi cuncta ſollicite diſquirebamus. Polyporum color ſatis prope ad colorem accedebat corii in ſuperficie ſanguinis ex corporibus ſumma pleuritide vel rheumatiſmo affectis emiſſi penitusque frigefacti effecti, vel potius eo erat albidior. Valde erant tenaces atque variis laminis arctius inter ſe connexis compoſiti videbantur, quamquam ſparſim vena quaſi ſanguifera erat interſperſa.—Non carneis ſolum columnis cordis firmiter adhærebant, ſed uſque ad intercolumnia quoque vel ſulcos progredientes his non minus, quam ipſo ventriculorum fundo fortiter inſerebantur.—Quæ radices, ſi ita nominare licet, erant albidiores quam polypi corpus.

Polyporum alter (ex corde JEREMIÆ MANNINGS extractus) unciæ pondus æquabat, ramis in arteria pulmonari atque cava excluſis, ſed prouti ex auricula & ventriculo dextro eximebatur; erat enim maſſa continua utriſque fortiter adhærens.

Cordis ex ventriculo ſiniſtro extractus polypus non minus inſignis, & multo firmior & compactior quam is dexter, aſt ejuſdem omnino erat colo-

coloris atque ventriculi lateribus uſque ad cordis mucronem firme inhærebat. — Ejus rami ſatis late per ſubclaviam & carotides diffundebantur arterias, — aſt parum valde per aortam. — Valvularum aortæ ſemilunarium alteram oſſeam reddi, obſervabam.

Pari ratione in alterius cordis cavitatibus dextris & ſiniſtris polypi ejuſdem coloris, firmitatis & tenacitatis, ſed omnino non adeo magni obveniebant; eique hoc reſpectu appendices ſuas ſatis late per pulmonarias arterias, aortam cæteraque diffundebant.

Nautarum mox poſt illos eodem modo moriebantur plurimi, quorum alterius viri juvenis viginti circiter annorum aperiebatur thorax. — Cujus in cordis auricula & ventriculo dextro magnus, ſed ſubruber neque ut ſupra relati adeo albus deprehendebatur polypus; — in ſiniſtro vero talis non occurrebat concretio.

Itaque, quamquam KERKRINGIUS aliique hanc de polyporum verorum in corde vaſiſque ſanguiferis efficione opinionem explodere anniſi ſunt; MALPIGHIUS tamen, BARTTOLINUS, TULPIUS, PECHLINUS aliique nobis de verorum polyporum in corde exiſtentia, ſenſu ſtrictiſſimo, indubitata reliquerunt exempla; atque hic tria ſimilis indolis gravia occurrunt teſtimonia: talia profecto, in primis bina priora, qualia nunquam mihi in ſatis copioſis occurrerunt diſſectionibus, quibus olim & nunc adfui.

Non poſſum, quin antea, quam his finem impono, mentionem faciam, me navis *Dunkirk* dictæ præfecti vicarium ſevera pleuroperipneumonia laborantem curaſſe, cujus ſanguis tam erat viſcidus, quam unquam vidi; qui quoque maxima

xima cum difficultate ſervabatur, & cui haud prius excitari poterat exſcreatio, quam die febris ſeptimo.

Denique annotandum eſt; antea memoratas naves a calidiore in valde frigidum clima medio hiemis tempore & quidem aquilone diu & perpetuo ſpirante atque frigus ipſum inſignem in gradum augente in portum perveniſſe: — Pleuritides, peripneumonias cæteraque talis aeris conſtitutionis conſuetos eſſe effectus; — ſanguinem his morbis laborantium maxime ſemper eſſe viſcidum; ac tempeſtatis calorem *Indiæ occidentalis* non minus, quam largum diuque continuatum ſpirituoſorum liquorum uſum horum miſerorum hominum ſanguinem inſigniter condenſaſſe: atque tandem in vaſis thoracis ſanguiferis illorum, qui his morbis moriuntur, polypoſas haud raro inveniri concretiones.

VIII.

VIII.

NAUTARUM

in diu durantibus curſibus exploratoriis & longis itineribus,

SANITATEM CONSERVANDI METHODUS.

NAutarum quam ingentem numerum paucis his abhinc annis terribilis ſcorbuti perdiderimus affectibus, ſatis notum eſt, quippe qui præcipue a malo alimentorum apparatu, aqua, cereviſia, cæteriſque minus bonæ notæ rebus, ut vix evitandis longorum itinerum atque curſuum exploratoriorum ſequelis dependet: naturali enim modo navium apparatus a bonitate recedit, caro bovina & ſuilla corrumpitur optima, aqua putreſcit, atque cereviſia (ad minimum talis, quali naves replentur) non diu conſervatur bona. Inde quin protractus & continuatus talis apparatus uſus gradatim humores corporum polluat, magnam ſanguinis acrimoniam inducat, iſtumque quotidie magis magiſque ad putredinis ſtatum procliviorem reddat, fieri non poteſt. Quorum affectuum vis, dum in humida, ſalina athmoſphæra continuo vivunt, & intra tecta navium aerem impurum & inquinatum inſpirant, inſigniter augetur. Hanc ipſam hujus caſus rationem eſſe, conſtans docet experientia. Ex unica navium claſſe plus, quam mille

le homines ægrotos, præter illos ipſo in itinere mortuos poſt trium menſium iter in terram expoſitos vidi, quorum plurimi ſcorbuto laborabant ſummo; Navium claſſe ad portum reverſa aer liberior, liquores ſalutares, alimenta nova & in primis fructus & herbæ convenientes cito ægrotorum ſanguinem & humores purificant eorumque reſtituunt ſanitatem. Aer liberior, novus alimentorum apparatus, fructus & hortorum proventus, quæ cuncta Angli & Belgi in inſula St. Helenæ & promontorio bonæ ſpei reperiunt, maximam ipſis in Indiæ occidentalis itineribus afferunt utilitatem; ſine quibus ipſi admodum ægrotant. Sanguinis acrimoniam corrigendi alcaleſcentem atque humorum putredinis progreſſum impediendi methodum, quæ acidis vegetabilibus & mineralibus peragitur, eſſe optimam, medicorum fugit neminem; quorum illa ſunt ſecuriora & dari poſſunt plenis buccis, hæc vero tantum guttulis.

Sanguinis ſtatum in navigantium ſcorbuto hujus naturæ eſſe, ex fœtido ægrotorum ſpiritu, eorum putridis corroſis gingivis, urina fœtida profundius tincta, ulceribus ſordidis, nigris, cœruleis & caſtanei coloris maculis & eruptionibus in cute, ex frequenti calore febrili, lingua ſordida, & bilioſa, cruentaque dyſenteria, quæ illum ſemper magis vel minus comitantur, apparet. Nunc quoque id ſatis cognitum eſt, vegetabilem & aceſcentem diætam & regimen, liberiorem aerem & novum alimentorum apparatum, potum ſubacidum & vinoſum illi certiſſime & cito mederi, niſi fortaſſe altiores egerit radices. In medendis affectibus ſcorbuticis valde deplorandis, a malo alimentorum apparatu, aqua perverſa,

cæte-

cæteriſque in longis itineribus exortis, poma aurantiorum, limonumque fructus miros edidiſſe effectus, ſatis eſt notum.

Quidquid autem morbum curat, illum quoque avertit. Itaque talis diæta & regimen, ſi in navibus adhiberi poteſt, contra conſueti navium commeatus corruptam putreſcentem qualitatem continuum exhibet antidotum & malos ejus effectus corrigit, ad minimum mitiores reddit. Atque præfectos navium, qui vinum, vinum pomaceum, limonum fructus & alimentorum recentium apparatum cæteraque ſecum gerunt, multo minus ſcorbuto affici, quam nautarum vulgarium pauperes, qui non ita ſunt inſtructi, re vera deprehenditur. Num ergo fieri poteſt, ut generale tale in navibus inducatur regimen? Fieri poſſe reor, & ratione & experientia edoctus, methodum ſuadeo ſequentem.

Omnes naves, quæ longos curſus aut itinera ingredi volunt, inſtruantur boni generoſique vini pomacei, quæ ad illa ſufficit, quantitate: quo acerbius illud, ita tamen ut optimæ ſit notæ, eo eſt melius. Quod ſi poma tantæ utilitatis ſunt in ſcorbuto; quin ſuccus illorum, ſi fermentatione factus eſt liquor vinoſus, admodum ſit ſalutaris, ſane fieri non poteſt; & ſua aciditate mali corruptique commeatus alcalinam putreſcentemque qualitatem ut corrigat, optime ut potus conveni-re videtur conſuetus. Vinum hoc pomaceum ad minimum trium menſium ætatem habeat & fecibus prorſus ſit depuratum, antequam ad uſum transfertur. Si quando nimis recens & impurum eſt, ad colicas ſeveriores excitandas, eſt aptum: ſemel ad minimum ex majoribus doliis in bona & pura percoletur vaſa; id quod multum ad ejus depurationem

con-

confert, & impedit, ne corruptio accedat, quæ illud reddit inutile. Quod ſi autem fortaſſe in acidum commutetur, quod haud raro incidit, illud tamen ſemper erit utile; aſt, quando bene tractatur, in Indiis quoque bonum & ſalutare conſervari poſſe, compertum habemus. Præter cereviſiam & aquam cuilibet nautæ per diem ad minimum menſura vini pomacei exhibeatur. Sic quoque crebriorem & liberiorem aceti uſum in diæta nautis ſuadere velim; inprimis quando alimentorum apparatus ranciditatem contrahere incipiat. Præter ea navium tecta cæteraque ſæpius laventur aut conſpergantur aceto; poſtquam aer craſſus & putridus ex navibus ope machinæ DOM SUTTON'S, aut D. HALES ventilatore eductus fuit, id, quod quolibet ad minimum die ſemel fieri debet.

Itaque in itineribus autumnalibus pomorum quantitas importari poteſt in naves, quæ bene ſelecta & ciſtis ſiccis puriſque incluſa per tres quatuorve menſes optime conſervantur. Sic quoque limonum aurantiorumque fructus pannis (*flannel*) dictis (aut alia iſtorum exhalantem humiditatem imbibente re involuti) vaſis ſiccis incluſi & frigidi ſatis retenti per longum temporis ſpatium ita conſervari poſſunt. Quod ſi vero hoc non tam facile fieri poteſt, ex limonum ſucco & ſpiritu ex canna ſacharifera educto (Rum dicto) parata mixtura (Shrub appellata) aliqua in copia importetur: cum ea diu conſervari poſſit, & multo ſit ſalutarior quam impurus & adeo noxius ſpiritus ardens largis adeo manibus in navibus, alibique diſtributus. Nihil magis noxiam iſtorum ſpirituum qualitatem corrigere poteſt, quod in tranſitu ſit dictum, quam limonum ſuccus. Ubi aqua

putre-

putreſcit, limonum ſuccus, elixirium vitrioli aut acetum ſemper cum illa miſceatur, quibus multo minus efficitur inſalutare: Romanorum milites bibebant *Poſcam* (aquam & acetum puta) pro potu ordinario, illamque admodum inveniebant ſalutarem utilemque.

Vitrioli elixirio & aceto naves jam magna in quantitate inſtruuntur, & magnæ utilitatis eſſe inveniuntur. Nuperrime quoque lex promulgabatur, ut naves bellicæ inſtruerentur vino pomaceo, quod ſi rite & ut decet adhibeatur, maximam allaturum eſſe utilitatem, probabiliter ſum perſuaſus. Re ipſa jam profecto in paucis quibuſdam bellicis aliiſque navibus, in quibus illud, licet tantum minori in quantitate fuerit adhibitum, ita compertum eſt. His mihi addere liceat, ut vinum in captis navibus repartum plerumque tenue & lentum, ſæpiuſque modo iſtud conſervandi corruptum, inter milites (in primis ubi vinum deficiat pomaceum) diſtribuatur, factu eſſe optimum.

Quod quidem conſilium admodum videri poſſit pretioſum; cum vero de plurimorum hominum non minus fortium quam utilium vita agatur, expenſas nulla ratione cum utilitate, inde dependente, comparari debere, exiſtimo. Secum ubique acetum & vinum gerebant in navium claſſibus & exercitibus Romani, atque militum nautarumque vulgus quotidie utriuſque particeps erat. Quid? quod iſti multo plures impendebant ſumtus ad ſanitatem militum conſervandam. Itaque, ſi populus iſte illuſtris & prudens vitam militis Romani tanti æſtimabat, ut tantis ad illam conſervandam non parceret ſumtibus; cur nos quoque tanti æſtimare nolumus vitam nautæ Bri-

tannici, qui omnino tam fortis & tam utilis eſt reipublicæ?

Filum abrumpere nequeo, quin mentionem faciam methodum nautas cogendi conſuetam poſt eorum ex longis & tædioſis itineribus reditum, omnibus rebus neceſſariis deſtitutos, de amicis & familiis privatis ſollicitos & plerumque fere in malo ſanitatis ſtatu conſtitutos, neque tempus neque occaſionem illam recuperandi ipſis permiſſum, multa millia ad inferos miſiſſe: egoque ob populi honorem optaverim, ut alia claſſes noſtras nautis inſtruendi methodus humanitatem & libertatem Anglorum magis decens excogitari poſſit. Plymuthi, die 30. Septembr. 1747.

IX.

DISSERTATIO

DE

ANGINA MALIGNA.

Libro meo *de Febribus* in publicum edito ſæpius ſeſe mihi obtulit opportunitas ex genere putridorum malignorum obſervandi morbum, quo mea de cauſis & cura febrium malignarum peſtilentialium ſententia abunde ſatis fuit confirmata. Illum puta, qui vocatur *angina maligna* (aut *ulcerous ſove throat*,) quæ in hoc regno ſparſim variis abhinc annis quibuſdam in locis valde conſueta & infantibus in primis inſigniter mortifera apparuit.

Hujus

Hujus morbi deſcriptio accurata; quam in Anglia primum accepimus, fuit illa eruditiſſimi *Dr.* FOTHERGILL anno 1748. Hiſpanicorum Italorumque medicorum varii talis morbi genus accurate deſcripſerunt, quod ſub ſeculi elapſi initio in Hiſpania variiſque in locis Italiæ magna cum violentia & ſtrage ſæviit. — Simili fortaſſe natura erant Syriorum & Ægyptiorum illa ab ARETÆO CAPPADOCE prolata ulcera & peſtilentialiter ulceratæ tonſillæ; quas in AETIO Amideno invenimus; & quædam profecto ſcarlatinarum febrium, quas MORTONUS deſcripſit, parum his videntur abſimiles.

Vix ſex vel ſeptem elapſi ſunt anni, cum eam in hac civitate ejuſque vicinia deprehenderem; licet magna cum ſtrage in & circa paga & oppida *Loſtvvithiel*, *St. Auſtel*, *Fovvye & Liſkeard*, uno vel altero anno ante ſæviret. — Anni 1751. fine uſque ad *Majum* anni 1753. iſta hac in urbe lociſque vicinis imprimis anno 1752. valde erat communis; atque non infantes ſolum, ſed adultos quoque plures iſta morti tradebantur.

Cum ſincera & accurata morborum, eorum ſymptomatum, methodique illis medendi deſcriptio, via artem ſalutarem promovendi ſit efficaciſſima, maxima cum cura morbos, de quibus agere vellent, atque bonos maloſque methodi remediorumque, quæ illius tollendi cauſa adhibuerunt, effectus deſcribere debebant medici. — Eo vero magis hoc requiritur, quando novus aut inconſuetus occurrit morbus; cujus ſigna peculiaria pathognomonica & diagnoſtica ſollicite ſunt notanda; & peculiari ratione deſcribendum, quæ evacuatio, quod regimen & quæ remedia in illo vel juvent vel noceant.

S 2 Pluviæ

Pluviæ magna quantitas toto anno 1751. decidit, in primis vero æſtas generatim inconſueta ratione erat humida, frigida, ſepiuſque procelloſa. —*Junii* nihilominus in principio tempeſtas inſigniter æſtuabat & quidem obſervabantur dies admodum fervidi in *Julio* & *Auguſto*, athmoſphæra fere ſemper erat gravis & humida, barometron vero plerumque humilem tenuit ſtationem. Terræ fructus crudi, aquoſi & inſipidi erant; meſſis inſigniter erat mala & omnium generum grana faciebant damnum. — Nihilo tamen minus pauci tantum obſervabantur morbi, ad minimum nulli veri epidemici morbi: variolæ vero (legione *Convvay's* menſe Majo inductæ) inſigniter hac in civitate menſe *Julio* & *Auguſto* diſſeminabantur; & quædam putridæ & miliares febres in parte hujus comitatus meridionali occurrebant. — Licet re vera hic loci non eramus ægroti, morbi tamen hypochondriaci & hyſterici multum prævalebant, & genus inagilitatis univerſalis & ſpirituum dejectio ubique occurrebat. Autumni tempore multo communiores fiebant variolæ & multo pejoris indolis, quam primo earum principio erant, reddebantur, hyemiſque medio veræ epidemicæ, & mortiferæ. — Inter ea catarrhi, mucoſæ, & inflammatoriæ anginæ, pleuritides & peripneumoniæ abundabant; & omnes hos morbos plerumque comitabantur eryſipelatoſæ vel puſtulares eruptiones.

Tempeſtas ſemper continuabat humida ſæpiuſque valde proceloſa, ventus erat varius. — Menſis *Decembris* erat frigidus, ſed a die decimo quinto uſque ad diem vigeſimum quintum humidus. — Iidem morbi perſeverabant, & circa anni finem variæ hinc & illinc occurrebant malignæ anginæ.

Anni

Anni 1752. initium erat frigidum, humidum, ſæpiuſve procelloſum, ventus plerumque ab oriente veniebat, interim mox verſus occaſum, mox verſus meridiem inclinabat: Barometron ſæpe valde humilem tenebat ſtationem, licet in Januarii principio admodum in altum tollebatur cum frigore acri. — Variolæ epidemicæ perſeverabant, ſæpe crudæ, cryſtallinæ & uſque ad ipſum finem incoctæ erant, interdum valde confluebant, parvæ & ſeſſiles; nonnullæ nigræ & cruentæ atque cum petechiis ſparſim conjunctæ apparebant. — Pleuroperipneumoniæ & rheumatiſmi non inconſueti obveniebant; anginæ catarrhales mucoſæ cum maxima tuſſi & larga tenuique exſcreatione valde frequentes occurrebant; & jam quoque variæ malignæ atque periculoſæ anginæ cum febris gradu haud parvo obſervabantur.

Februarii non minus initio, quam fine mercurius altam tenebat ſtationem, & aer erat ſerenus, ſiccus & frigidus, ſed a die octavo uſque ad diem vigeſimum primum multum pluviæ vento generatim ex meridie ſpirante decidebat. — In urbe plures deprehendebantur variolæ, licet paucæ in vicinia: quidam pleuritide, peripneumonia & rheumatiſmis, plures catarrhali mucoſa & pauci inflammatoria angina: & quidem ſemper maligno genere invadebantur.

Menſis *Martii* tempeſtas ſatis frigida & ſicca inprimis in ejus initio & fine erat; atque barometri alta, nunquam valde humilis obſervabatur ſtatio. — Variolæ multo benigniores erant, & minus frequentes. — Cæteri morbi quoque minus quidem communes, ſed magis inflammatorii, nullæque anginæ malignæ inveniebantur: quidam tuſſi ſeveriore & morbis excruciabantur aſtmati-

cis pertinacioribus. — Sanguis jam emiſſus plerumque denſior & viſcidior quam ante varios menſes apparebat.

Aprilis initio dominium tenebat aquilo, aeremque ſiccum ſerenum & ſatis frigidum efficiebat; Baroſcopio alto, frigidiuſcula per quatuor vel quinque dies ſuccedebat tempeſtas, & poſt ea recurrebat aquilo, a die vigeſimo primo ſpirabat W. N. W. —Sparſim variolæ, quarum quædam malignioris generis: quædam pleuritides, peripneumoniæ, rheumatiſmi, icterus & hydrops frequens, tuſſes ſeveriores ubique obveniebant. Vermibus non minus adultorum quam infantum vexabantur plurimi.

Quamquam menſe *Majo* amœna obſervabatur tempeſtas, attamen humida, frigida & minus placida erat æſtas. Atmoſphæra craſſa & nebuloſa & barometron raro in altum tollebatur, S W. & aquilo ventorum erant frequentiſſimi. Terræ fructus ad perfectam maturitatem non bene pervenientes aquoſi & inſipidi erant; mala meſſis mala exhibebat grana. — De ſpirituum dejectione, pigritia & laſſitudine conquerebantur omnes. — Junio menſe variolæ multo copioſiores atque per totam æſtatem epidemicæ pejoriſque indolis, quam vere non ſolum hic, ſed quoque ubique in vicinis locis erant: ſæpius obſervabantur confluentes, minores & nonnunquam nigræ cum narium hæmorrhagia præcipue in infantibus conjunctæ: petechiæ autem multo rarius, quam ego expectaveram, occurrebant: interdum iſtæ admodum crudæ, cryſtallinæ & incoctæ in largas confluebant veſicas, cutim valde corrodentes. — Rheumatiſmi, podagra & tuſſes his anni temporibus conſueto modo multo erant copioſiores.

Itaque

Itaque nunc illud ipſum genus febrium, quod in *libri mei de aere & de morbis epidemicis* volumine primo (*) anginoſa nuncupatur febris, nunc ſparſim magna cum violentia ſæviebat, conjuncta cum ſcarlatina aut puſtulari eruptione, quam excipiebat pruritus vehemens cuticulæque deſquamatio. Horum pulſus plerumque durus, celer, parvus, reſpiratio calida & laborioſa cum magna præcordiorum oppreſſione, ex urina interdum cruda & pallida, interdum valde tincta & turbida nihil deſidebat: delirium generatim cito ſuperveniebat. — Ægrotis plerumque in principio ſanguis detrahebatur cum utilitate, & ſanguis ipſe ſæpe erat glutinoſus, licet non tali in gradu, qualis in veris inflammatoriis anginis; quæ tamen raro largam ſanguinis detractionem & rariſſime repetitam permittebant.

Febrium tunc graſſantium omnes miram oſtendebant proclivitatem ad alias vel alias eruptiones, ſudores, anginas & aphthas. — *Auguſto* menſe variolæ magis erant mortiferæ, ſæpius illas exulceratio faucium periculoſiſſima & deglutiendi comitabantur difficultas. — Nunc profecto anginæ malignæ frequentius occurrebant, quæ ſæpius in variolis probabiliter erant implicitæ.

Æſtate magis gratus & amœnus erat autumnus, in primis *Octobris* menſis maxima pars placebat amœnitate & ſerenitate, altum tenebat locum mercurius: nihilo minus athmoſphæra generatim craſſa & nonnunquam valde humida erat, vento plerumque ex oriente flante: *Novembris* conſueto modo minus humida ac procelloſa & generatim calida tempeſtas exiſtebat: barometro ſatis alto, aere tamen craſſo & humido. — *Decembris* in princi-

(*) Anno 1734. Menſe April. &c. 114.

pio mercurius inſigniter in altum ferebatur, aere frigido & ſicco, vento E. N. E. a ſexto vero uſque ad vigeſimum ſextum, valde humidus & nebuloſus, nonnunquam procelloſus & barometrum valde decidebat; verſus finem ventus ex oriente redibat, mercurium in altum tollebat & reſtituebat bonam frigidam tempeſtatem.

Hac periodo durante variolæ epidemicæ ubique continuabant, & licet menſe *Septembri* & *Octobri* aliquo modo mitiores evaderent, ſparſim tamen valde confluentes comitabantur maculæ & narium hæmorrhagiæ.— *Decembri* illæ ſæpius crudæ, copioſæ & tandem inconcoctæ valde largas veſicas, partes ſubjacentes profunde arrodentes excitabant: cruſtæ nigræ confluentium ſæpius uſque ad trigeſimum ad minimum diem remanebant. — Sic *febris anginoſa* ſemper perſeverabat — & *anginarum malignarum Septembri* occurrebant multæ, plures *Octobri* ac *Novembri*, atque *Decembri* plurimis in hac civitate in *loco navium ædificandarum* & in omnibus circa nos vicinis locis erant communes atque tam adultorum, quam infantum magnam e vivis tollebant copiam. — Per hoc tempus ſimili ratione innumeræ catarrhales, mucoſæ, ſed minori cum ſeveritate aut periculo obveniebant anginæ. — Menſe in primis *Octobri* poſt tempeſtatem paucorum dierum nebuloſam, procelloſam, pluvioſam a duodecimo uſque ad decimum ſextum diem matutinum tempus erat valde frigidum, & pruinam cum aliqua glacie efficiebat, quo tempore uno impetu centum ex populo tuſſi, angina & magno narium, oculorum & oris defluxu afficiebantur, quæ cum parva febre, & majori vel minori eruptione vel magno alvi fluxu erant conjunctæ. — Tuſſes, catarrhi, rheumatiſmi

tiſmi & defluxus menſe *Novembri* & *Decembri* valde erant conſueti, tuſſi imprimis catarrhali fere quilibet aliqua ratione perturbabatur; paucæ tamen tantum occurrebant peripneumoniæ aut pleuritides; nihilo minus phthyſi pulmonali corripiebantur multi & tabe moriebantur plurimi.

Per varios menſes vix inſignis obſervabatur febris, quæ vero cum angina, aphthis, & aliquali cutis eruptione erant conjuncta, idque quoque in morbis pleuriticis & peripneumonicis: tantum aeris conſtitutio cæteraque ad producendas eruptiones in omnibus febrium affectionibus inclinare videbantur. — Sanguis ægrotis detractus per omne hoc temporis ſpatium rarius viſcidus, ſed generatim primo intuitu, præcipue in ipſius morbi principio floridus & rarioris texturæ apparuit.

Sic anni 1753. erat finis. — Hiemis pars reliqua & hanc excipiens ver valde frigida erant humidaque: tempeſtas iſta frigida uſque ad *Majum* medium continuabat, & ver admodum ſiſtebat tardum. Tunc tempeſtas accedebat gratior & æſtas, calida, qualis vix per plures annos erat viſa, ſua amenitate placebat. Variolæ atque tam catarrhales, quam malignæ anginæ minus frequentes atque minus mortiferæ ab *Januario* uſque ad *Majum* exiſtebant, ubi prorſus ceſſabant. — Cum æſtas appropinquaret, varia pleuritides, peripneumoniæ & multi catarrhales occurrebant morbi: ſanguis detractus nunc in genere multo denſior & viſcidior erat, quam per varios menſes antea fuerat obſervatus.

Aeris conſtitutionis & morborum brevem hanc exhibui deſcriptionem periodo iſta durante, qua anginæ cujuſcunque generis multo erant frequentiores, quam unquam antea recordor, & qui-

quibus quoque varia eruptionis cutaneæ genera maxime erant communia, & hoc quidem in febre, quæ evenit leviſſima. — Quod eam in primis ob rationem feci, ut fortaſſe ex his ratiocinando & conjectura cauſas & naturam talium morborum aſſequi poſſemus. — Num tempeſtas frigida humidaque diuturnior illos excitabat, cum juſtam atque ordinatam impediret perſpirationem? Perſpirabile illud ſuppreſſum admodum acre redditur tandemque non minus varios, qui generali nomine ſcorbuti ſunt cogniti, producit morbos, quam quoque mox catarrhos, anginas, peripneumonias, defluxus, colicas cæteraque excitat, quæ, ut latet neminem, ſunt perſpirationis ſuppreſſæ effectus. Talis vero naturæ in indagationes deſcendendi meum nunc non eſt conſilium. Itaque ad exhibendam deſcriptionem, quantum fieri poteſt accuratiſſimam, anginæ malignæ, quæ durante periodo ſupra propoſita, anni ſpeciatim 1752. ſæviebat, progredior. — Cui medendi methodum, quam deprehendi eſſe utiliſſimam, addam.

Morbi hujus impetus in diverſis hominibus valde erat diverſus. — Interdum rigor cum aliqua plenitudine & ægritudine faucium & dolens colli immobilitas præcipua erant, de quibus conquererentur ægroti, ſymptomata. — Interdum horrore & æſtu alternantibus cum aliquo capitis dolore, vertigine & pigritia ingruebat morbus. — Alios invadebat cum multo majoribus febrilibus ſymptomatibus, magno capitis & dorſi, crurumque dolore, ingente præcordiorum oppreſſione, & continuis ſuſpiriis. — E contrario quidam hominum adultiorum per unum circiter aut alterum diem quaſi neque ſani neque ægroti, ſed in-

inquieti & anxii obambulabant, donec lectulum petere cogerentur. — Sic primum ſub impetum variabat morbus. Plerumque vero ingruebat horrore, & calore, capitis gravitate & dolore, faucium ægritudine & raucitate, aliqua tuſſi, ventriculi vitio, vomitu frequenti & alvi dejectionibus in primis in infantibus; qui nonnunquam ſeverius afficiebantur, quamquam ſtatus contrarius magis communis erat adultis. — In omnibus major ſpirituum abjectio, ſubitanea debilitas, magnum pectoris pondus, & laſſitudo mox ipſo in principio obſervabatur. — Pulſus generatim deprehendebatur celer, parvus & tremulus, licet nonnunquam tardus & repens. — Urina plerumque pallida, tenuis & cruda, interim varii adultorum hominum eam parca quantitate, profunde tinctam aut turbidam ſero ſimilem emittebant. — Oculi apparebant graves, rubri & quaſi lacrumantes, os ſæpius plenum, rubrum & tumidum, interdum tamen pallidum & triſte.

Quam levis vero morbus interdiu appareret, noctu tamen ſymptomata valde increſcebant, & habitus multo magis augebatur febrilis; quid? quod nonnunquam prima nocte excitabatur delirium; atque per totius morbi decurſum in veſperum conſtanter recurrebat hæc exacerbatio. — Equidem, cum morbus jam a declinatione propius abeſſet, ægrotum meum, quem ego die ſatis temperatum & tranquillum reliqueram, totam per noctem phrenitide quadam laboraſſe, multo ſane magis ſum miratus.

Paucis horis ante ipſius morbi impetum, & nonnunquam ſimul cum ipſo, faucium percipiebatur inflatio & ægritudo, atque tonſillæ valde in-

tumeſcebant & inflammabantur, & interdum parotides & glandulæ maxillares ipſo quoque in principio tumore afficiebantur ſubitaneo & majori: tanto interdum, ut minitaretur ſtrangulationem. Fauces quoque admodum ſubito monſtrabant ruborem ſumme floridum, vel potius colorem clare cremoſinum, valde nitentem & ſplendentem: atque plerumque fere in uvula, tonſillis, velo palatino & poſteriori pharyngis parte variæ albidæ vel cinereæ, hinc illincque diſperſæ apparebant maculæ, quæ ſæpe ſubito augebantur & cito unam aut utraſque obtegebant tonſillas, uvulam cæteraque: quibus tandem cruſta ulcerum ſuperficialium (quæ nihilominus nonnunquam ſatis alte parte exedebant) effingebatur. Licet tunc temporis tantum alba & humida in apice eſſet lingua, in radice tamen valde impura, craſſa, lutea aut caſtanei coloris obtegebatur pellicula. — Sic nunc quoque valde nauſeoſus emittebatur ſpiritus, cujus odor infenſus de hora in horam increſcebat, & in quibuſdam tandem, ipſis quoque ægrotis nimis ſæpe reddebatur intolerabilis.

Altero aut tertio die, omnia ſymptomata inſigniter exacerbabantur & febris multo magis increſcebat, illique, qui adhuc per triginta vel quadraginta horas ſatis fortiter reſtiterant, ipſi cedere cogebantur. — Inſigniter non minus augebantur inquietudo & anxietas, quam deglutiendi difficultas. — Vertigine, dolore & gravitate afficiebatur caput, generatim majus aut minus delirium, nonnunquam pervigilium & perpetua phrenitis aderat, quamquam alii ſtupidi jacentes, ſæpius ſtertebant, ſibique ipſi obmurmurabant. — Cutis erat calida, ſicca & aſpera; rariſſime obſervabatur in ſudorem proclivitas. Urina reddebatur pal-

lida,

lida, tenuis, cruda, ſæpius lutea & turbida. Interdum vomitus; interdum alvi laxitas inſignis, in primis in infantibus, urgebat. Ulcerum cruſtæ nunc magis auctæ, colorem induebant obſcuriorem, parteſque vicinæ magis in lividum vergebant. — Reſpiratio reddebatur difficilior, cui ſtertoris cum ſibilo genus erat adjunctum, quod quaſi ipſum ægrotum jugulare videbatur, vox rauca & obtuſa illi perfecte erat ſimilis, quæ *a venereis in faucibus* oritur *ulceribus*: loquelæ reſpirationiſque ſonitus iſte ita erat peculiaris, ut homines aliquo modo circa morbum verſantes facile illum cognoſcere poſſent ſonitu illo miro; unde procul dubio medici Hiſpanici ipſi nomen impoſuerunt *Garotillo*, quo talem, qualis a ſtrangulatis laqueo editur ſonus, exprimere voluerunt. — Sonum illum acutum, latrantem, quem ſæpius in angina inflammatoria percipimus, apud horum audivi neminem. Omnium ægrotantium ſpiritus valde erat nauſeoſus, quorundam vero in primis tempore criſeos inſtantis intolerabiliter fœtens; quidam circa quartum aut quintum diem magnam fœtentis, purulenti muci, nonnunquam ſanguine tincti, copiam exſcreabant, & nonnunquam materia prorſus livida atque deteſtandi erat odoris. Simili ratione ex naribus quorundam valde inflammatis & excoriatis continuo deſtillabat acerrimus ichor aut materia ſanioſa, adeo acris, ut non ſolum labia, genas & manus infantum hoc morbo laborantium, ſed quoque digitos & brachia ipſarum nutricum, iſtis inſervientium, corroderet: cum hæc narium exulceratio accedebat, plerumque in infantibus ſternutatio vix unquam ceſſans excitabatur, adultorum vero pauci, ad minimum ad inſignem aliquem gradum ea afficie-

cibantur. Admiratione dignum erat, quantam hujus materiæ copiam per hanc viam eliminarent infantes, qui ſæpius iſtam in ore, brachiis & manibus infricantes omnem veſicis obtegerent ſuperficiem. — Cujus defluxus ex ore & naribus ſubitanea ſuppreſſio quoſdam jugulabat infantes; & quidam tantam ejus quantitatem deglutiebant, ut excoriationem inteſtinorum, vehementia tormina, dyſenteriam cæteraque, immo ani quoque & gluteorum excitaret excoriationem. — Non vero ſolum nares, fauces aliaque acerrima hac afficiebantur materia, ſed ipſa quoque trachea interdum illa valde corrodebatur, & membranæ ejus internæ fruſtra cum plurimo ſanguine & corrupta materia exſpuebantur; atque ægroti per inſigne temporis ſpatium langueſcentes tandem tabe moriebantur; licet multo frequentius incideret, ut illa valde ſubito & violenter ad pulmones delata illos more peripneumonicorum necaret.

Interdum quoſdam ſatis facile deglutientes ſumma cum admiratione perſpexi; quamquam tonſillarum & faucium tumor, muci tenacis quantitas & ſonitus ſpirandi ſtridens erant terribiles: quæ cuncta, hanc malignam anginam magis ab humorum acrimonia & abundantia, quam ab inflammationis violentia dependere, ſatis dilucide oſtendere, exiſtimo.

Plerumque fere exanthemata prægrediebatur angina, ſæpius autem ante anginam eruptiones apparebant cutaneæ, quæ interdum admodum erant inſignes, licet parvus aut nullus in faucibus adeſſet dolor: e contrario ſatis ſevera quidam corripiebantur angina ægroti, nullo eruptionis genere obſeſſi; quo tamen in caſu, inſignis in-

interdum cutis ſequebatur pruritus & deſquamatio, hoc vero præcipue adultis, rarius infantibus accidit. — Interim generatim ingens ſatis per ſummam præcipue infantum corporis cutem erumpebat efflorescentia, eaque tertio aut quarto evenit die: interdum iſta tantum partem aliquam, interdum fere totum corpus, rarius tamen os obtegebat: interdum ea ex genere erat eryſipelatis, interdum magis repræſentabat puſtulas: ſæpius puſtulæ valde eminebant, & colorem profunde igneum vel rubrum in primis in pectore & brachiis monſtrabant, ſæpius tamen parvæ erant, ut melius tactu quam viſu percipi poſſent, atque in cute mirum efficerent ſcabritiei genus. Efflorescentiæ color plerumque erat cremoſini coloris, aut cutis quaſi ſucco ribeſiorum oblita eſſe videbatur, idque etiam in ipſis digitorum apicibus, atque cutis inflammata ac tumida quaſi apparebat, ſæpius brachia, manus, & digiti evidenter ita obveniebant valdeque rigidi aliquo modo dolebant. — Cutis color iſte cremoſinus huic morbo proprius profecto eſſe videbatur. —

Licet eruptio plerumque ægrotis aliquod levamen ratione anxietatis, ventriculi nauſeæ, vomitus, purgationis cæterorumque ſymptomatum afferre ſoleret; univerſalem tamen prurientem in quibuſdam hominibus obſervabam eruptionem ſine ulla ſymptomatum remiſſione: quid? quod quæcunque fere ſymptomata, in primis febris, pectoris oppreſſio, anxietas & delirium multo magis aucta videbantur: egoque plures ægrotos tanta univerſali, pruriente eruptione, quantam unquam vidi, obtectos, phrenitide ſeveriſſima morientes perſpexi: Ita ut illud, prouti in ſumme

con-

confluentibus variolis, morbi tantam quantitatem, ſi ita loqui licet, denotare videretur.

Curæ meæ concreditus erat juvenis nobilis circiter annum ætatis duodecimum agens, cujus lingua & tonſillæ tam nigræ, ut atramentum, erant, & qui ſumma cum difficultate deglutiebat; qui perpetuo immenſam nigræ, ſanioſæ & valde fœtentis materiæ per octo ad minimum vel decem dies exſcreabat quantitatem.— Circa ſeptimum diem febre aliquo modo imminuta, dyſenteria corripiebatur cruenta, licet adhuc cum violentiore tuſſi, cruenta, ſanioſa & fœtens continuaret exſcreatio;— Tandem autem profecto cum maxima omnium viſentium eum, admiratione hæc ſuperabat.— Itaque quamquam tanta ſevera & univerſalis eruptio hoc in ægroto ſecundo & tertio proveniebat die, quantam unquam inveni, & pruritus cutis ita intolerabilis erat, ut omnem totius corporis cutem valde impetuoſa ratione dilaceraret; hæc tamen ingens & temporaria eruptio parum admodum ejus febrim & phrenitidem levabat, aut alia triſtia ſupra propoſita avertebat ſymptomata.

Cæterum citior & mitior eruptio fere plerumque optimum erat omen, & quando iſtam ſummæ cutis copioſior excipiebat deſquamatio, exoptatiſſimum tunc occurrentium erat ſymptoma; quando vero eruptio in obſcurum aut lividum mutabatur colorem, vel præmature & ſubito recedebat, quodlibet ſymptoma in pejus ruebat, & maximum imminebat periculum, in primis ſi purpureæ aut nigræ ſparſim apparebant maculæ, ut nonnunquam accidebat; urina reddebatur limpida & convulſiones accedebant, aut mortifera finiebatur ſuffocatione tragœdia.

Morbi

Morbi ſummus generatim gradus in junioribus *quinto* aut *ſexto* die, in adultioribus non tam cito obſervabatur, atque criſis vix prius, quam *undecimo* aut *duodecimo* & tunc quoque ſatis imperfecta accedebat: Adultiorum interim quidam binis aut tribus diebus e vivis abripiebantur, cum morbus vel ad pulmones delatus eos, ut peripneumonia affectos necaret, vel ad cerebrum projectus delirantem aut comate affectum trucidaret ægrotum. — In quibuſdam morbus tuſſim valde laborioſam, exſcreationem purulentam, hæmoptoen & hecticam excitabat, ubi ægroti per varias hebdomadas langueſcentes tandem moriebantur tabidi.

Quod ſi moderatus & facilis ſudor tertio aut quarto die accedebat; quod ſi pulſus magis lentus, firmus & æqualis fiebat, quod ſi cruſtæ faucium mitiori ſecedebant ratione & fundus ſatis purus & floridus apparebat; quod ſi reſpiratio lentior & liberior aderat, & aliquis vigor alacritaſque reſtituebatur oculis, omnia erant ſalva, & ſalutaris criſis cito efficiebatur ſudoris continuatione & urina turbida, ſubſidente, farinoſa, expectoratione copioſa, & larga valde ſummæ cutis deſquamatione. — Quod ſi vero rigor accedebat & ſubito evaneſcebant exanthemata aut livida reddebantur; ſi pulſus debilior & celer deprehendebatur, & cutis calida & quaſi arida remanebat, ſpirandi difficultas, oculi mortui & vitrei, urina pallida & limpida continuabant; phrenitis aut coma ſuccedebant, cum frigido, viſcido ſudore in facie aut extremitatibus, inprimis, ſi ſingultus, gulæ conſtrictio aut pectoris obſervabatur palpitatio, comitibus ſubitaneis liquidis in vite profluentibus, lividis atque intolerabiliter fœtentibus de-

jectionibus, de vita deſperabatur. — In paucis quibuſdam ægrotis paulo ante terminum fatalem non os ſolum tumidum, pallidum, ſplendens & quaſi pinguedine inunctum obſervabam, ſed totum collum valde inflatum, cujus intuitus erat cadaveroſus, atque totum quoque corpus aliquo modo efficiebatur œdematoſum, ita ut digitorum impreſſorum ipſa in parte remanerent veſtigia; cute haud iterum, ut fieri ſolet, ſe attollente; id, quod indicabat, ſanguinem in vaſis capillaribus ſtagnare atque fibrarum elaſticitatem prorſus eſſe deperditam.

Itaque cum tam varia anginarum morborumque exanthematicorum occurrerent genera, durante iſta periodo, qua malignæ graſſabantur anginæ; ſymptomatum ſimilitudo in ipſis morborum iſtorum variorum principiis non parum difficultatis afferebat junioribus minuſque in primis peritis medicis, methodum inveniendi, qua in ipſo impetu uterentur, ſpeciatim evacuationum reſpectu conſuetarum: experientia ſatis nunc edocti, omnem ſanguinis detractionem alvique purgationem ad minimum aliquem in gradum in illis, quæ vocantur anginæ malignæ, nulla prorſus ratione convenire, veritati eſſe conſentaneum.

Licet noſtros medicæ artis viros generoſos, in hac regni parte illam exercentes tam ſollicitos, capaces & eruditos eſſe, quam in plurimis Angliæ regionibus, profecto exiſtimem, attamen, ut ipſis hujus ſingularis & conſueti morbi naturam cognitam redderem & bene ab aliis quibuſdam graſſantibus morbis, non parum ſimilitudinis cum illis alentibus, diſtinguerem, operam navabam. Et cum efflagitarem, ut ad parvum, celerem, inæqualem tremulum pulſum in ipſo hujus malignæ

angi-

anginæ impetu attenderent, licet ſane nonnunquam plenus & repens, ſed tunc quoque tardus & inæqualis eſſet; — ad magnam ſpirituum viriumque proſtrationem, — ad perpetuam anxietatem, gemitus & magnam præcordiorum oppreſſionem; — ad torvos, languentes, aquoſos & quaſi lacrumantes oculos; ad pallidam, crudam, tenuem, licet ſæpius turbidam, ſeroque ſimilem urinam; — ad albentem, plerumque vero humidam, licet verſus radicem inſigniter incruſtatam linguam; — ad ſplendentem, cremoſinum faucium colorem, cum interſperſis albis aut cinereis maculis vel puſtulis, & ſpiritu nauſeoſo ac nonnunquam valde fœtente; — ad manuum, brachiorum, colli, pectoris cæterarumque partium ſcarlatinam vel purpuream efflorescentiam (in aliis eryſipelatoſam, in aliis puſtularem) ad ſymptomata, quæ hunc morbum etiam ipſis primis diebus comitabantur; iſti melius diſtinguebant, majori cum cautione agebant, ſucceſſuque curabant feliciori. — Plura antea occurrebant exempla, ubi ſanguis temere & larga copia emiſſus & purgationes hoc in morbo adhibitæ fuerant, imo quidam quoque adeo ſtulti erant, ut mihi, ſanguinem detractum pulchrum *ſatis & ſpiſſum* fuiſſe, dicerent, tam floridum profecto ego inveniebam, ut *agni ſanguinem*, ſed tam rarum & laxum, ut penna illum diffundere potuiſſet, qui parum vel nullum ſerum relinquebat, aſt perfecte ita apparebat ut ſanguis, cui ex vena ruenti mox *ſpiritus cornu cervi* affunditur, quo ejus naturalis impeditur coagulatio.

Nihil aliud, quam hoc dicam, in quibuſdam hominibus adultis plethoricis ſanguinem aliquem in ipſis morbis principiis detrahi poſſe; & paucis quibuſdam ſanguinis emiſſionem, ſpeciatim in an-

ginæ ſymptomatibus, & ubi ſpirandi quoque difficultas aderat inſignis, cum ſucceſſu præſcripſi: aſt addere debeo, ſanguinis ad inſignem aliquem gradum detractionem repetitam maxime eſſe noxiam, ubi præcipue primus ſanguis emiſſus talem raram & laxam monſtrabat texturam; nam ſecundus aut tertius emiſſus ſemper ut merus ſanioſus cruor occurrebat, ut ſæpiſſime annotavi, — quid? quod interdum ſanguinem primo emiſſum admodum tenui, albida aut plumbei coloris cute ſatis tenaci tectum obſervavi: ſub qua vero proxime *viridescens*, *molle gelatinægenus*, & in fundo admodum laxum, nigrum craſſamentum, vix ullo modo cohærens erat. — Interim hæc ſanguinis facies non minus, quam quæ ſupra propoſita eſt, plurem ſanguinis emiſſionem interdicit, & plerumque obſervatur, ubi pulſus palpitans (*throbbing*) & magnus æſtus in ipſo morbi acceſſu invenietur. — Me ipſum in primo hujus febris exortu in duobus vel tribus caſibus non parum erraſſe, fateor, alterum illorum eſſe veram peripneumoniam exiſtimabam, ſed angina, ſcarlatinæ eruptio & ipſæ petechiæ cito ſatis erumpentes, qualis re vera eſſet morbus, me omnino docebant.

In malignarum febrium principiis ſæpius illud ſanguinis glutinoſi & cruſta obducti inveni phænomenon, nihilominus ſanguis binis aut tribus diebus poſt ex eodem homine detractus rarus prorſus, & ut ſanies quaſi fuit diſſolutus. — Cujus rei plura mihi nuperrime occurrebant exempla inter hujus loci *captivos Gallos*, qui *catervatim febre contagioſa peſtilentiali*, ſæpius cum petechiis & dyſenteria cruenta conjuncta moriebantur. — Quibus in febribus (ut quoque in aliis) *chirurgi Galli*, ut eorum mos eſt, quolibet aut ad mini-

minimum altero die ſanguinem emittebant. — Atque in quibuſdam eorum præfectis (ita tractatis) ſanguinem tertio aut quarto emiſſum merum ſanioſum eſſe cruorem cognoſcebam, licet primum emiſſus ſatis eſſet glutinoſus. — Præter ea methodus medendi tam erat præpoſtera, ut eodem tempore, quo tam negotioſi cum *lanceola* eſſent, *ægrotos juſculis ſaturatiſſimis, quæ ex carne bovina, vervecina cæteriſque comparari poterant, replerent*, atque hoc quoque efficiebatur, licet iſti perpetuo delirarent, maculis nigris vel purpureis tecti, & lingua tam nigra, ut atramentum, & tam ſicca aſperaque eſſet, ut pumicis lapis. — Magnum horum numerum medendi hujus methodi perverſæ fuiſſe victimas, pro certo habeo.

Quæ ſanguinis cruſta obtecti facies in ipſis febris contagioſæ peſtilentialis principiis nullo modo id, quod *in libro meo de Febribus de contagioſorum effluviorum* effectu in ſanguinem in ejuſmodi febribus propoſui, infringit, ſed potius confirmat: quamquam enim iſta ſanguinis craſim diſſolvere & tandem re ipſa deſtruere intendant, homines tamen, quorum ſanguinis ſtatus eſt viſcidus denſúſque, febre contagioſa maligna corripi queunt, & ſanguis ipſe, ſi in ipſo ejus impetu detrahitur, valde glutinoſus & cruſta tectus apparere poteſt, nihil vero minus actio fermenti contagioſi (ſi hac dicendi formula uti licitum eſt) magis magiſve ſanguinem diſſolvet, tandem in *meram putrilaginem* ſanioſam convertet, & ſic ille in ſubſequentibus ejus detractionibus apparebit. — Atque ea propter ubi juſtis ex rationibus in febre quadam timetur contagioſa malignitas, maxima cum cautione, quod ad ſanguinis detractionem

repetendam attinet, procedere oportet, cum conſtanter inveniatur, pulſum non minus quam vires poſt ſecundam vel tertiam ſanguinis detractionem, & profecto interdum mirum in modum poſt primam inſigniter imminui.

Sed ut ad propoſitum meum redeam, — ſi ego ad ægrotum hoc morbo affectum in ipſo principio vocabar, ego plerumque loco ſanguinis detractionis jubebam clyſma ex lacte, ſacharo & ſale injicere ad inteſtina evacuanda, in primis quando alvus ægroti erat obſtipata. — Siquando autem dejectiones cum impetu eſſent conjunctæ, pauca grana *rhabarbari toſti* cum *ſpeciebus e ſcordio*, decocto albo cæteriſque conveniebant; & ſi diarrhœa adeſt profuſa, cochlear unum aut alterum *Decocti Fracaſtorii Fulleri* crebrius exhiberi poteſt, quod talibus in caſibus medicamentum eſt efficaciſſimum. — Quod ſi nauſea & vomitus urgebant, lene emeticum in primis adultis præſcribebam, quod quoque non tam faucium dolorem augebat, ut quis putare poſſet, quam potius generatim inſigniter imminuebat. — Imo in infantibus ſæpe neceſſe erat, ut illis crebrius cum *oximelle ſquillitico eſſentia* antimonii aut ſimilibus vomitus excitaretur, alias magna tenacis muci copia illos prorſus jugulabat.

Tunc ego ægrotis mox *mixturam* exhibebam *ſalinam* ex *ſale abſinthii* aut *ſale volatili cornu cervi* & *ſucco limonum* cum *aqua alexeter. ſimpl.* quibus additus erat *pulv. Contrayerv. C.* cum parva *Myrrhæ* & *Croci* quantitate: vel hæc ultima dabantur in *bolo* cum paucis *nitri* granis, ſi febris inſigniter increſcebat. — Sic quoque *camphoræ* additæ granum unum vel duo adultis admodum erat utile, ſi ventriculus illam perferebat: quod ſi vero illam reſpue-

ſpueret, *julapio* e camphora aut *aceto camphorato* cum *ſyrupo ribeſiorum nigrorum*, *rubi idæi* ſimiliumque uſus ſum. — Secundo aut tertio die mixturæ ſalinæ aut julapio temperato cardiaco aliquid de tinctura mea *corticis Peruv. alexipharmaca* addebam, quam tunc temporis in hoc morbo *corticis* ipſius ſubſtantia multo præſtantiorem inveniebam; cum illa multo magis exanthematum eruptionem promoveat & multo minus ſudoris exortum impediat, qui omne hujus morbi tempore maximam affert utilitatem, puta, ſi moderatus, æqualis & univerſalis eſt. — Id quidem quam maxime difficile erat, ut ægroto ullo modo ſudor excitaretur, quando autem moderatus, æqualiter diffuſus ſudor tertio, quarto aut quinto die vel quoque tardius accedebat, criticus is & ſalutaris erat, urina mox apparebat magis concocta & mox quoque ſatis largam quantitatem *ſedimenti argillacei* vel *pallide lateritii* coloris deponebat, licet antea cruda, tenuis aut limpida eſſet; indeque ſemper illam mitioribus & lenioribus diaphoreticis atque largis diluentibus cum aqua hordei, tenui ſero, avenæ decorticatæ decocto, thea aut ſimilibus promovere tentabam. — In mentem vix revocare poſſum, me habuiſſe ægrotam partum immaturum excludentem, cui ſudor moderatus, lenis, univerſalis erumpebat, & ſi pruritus, interdum cum ipſo accedens fere intolerabilis eſſet, eum tamen generatim mitigabat ſudor; tandem is conſtanter febrim imminuebat; & dejectiones (ſi fortaſſe quædam aderant) mox ceſſabant; tumores colli quoque parotidum cæterarumque partium maxima ex parte diaphoreſi moderata larga accedente ſubſidebant: ſudor ipſe ipſis etiam in infantibus valde olebat & fœtidus erat.

Vitrioli elixirium cum tinctura corticis peruviani plerumque dabam (infantibus tenerioribus exceptis) quod egregium eſt *antiputredinoſum alexipharmacum*; & ut *elixirium* iſtud *in infuſo ex malis aurantiis Hiſpanienſibus toſtis & vino rubro clarificato* aut *vino rubro Portugalenſi* & *aqua* parato, quæ ſatis grata & efficax eſt compoſitio, ſumerent, ſæpius juſſi.

Ut os fauceſque creberrime eluerentur, quam maxime neceſſe erat; — Gargariſma, quod plerumque præſcribebam, erat *decoctum ficuum*, florum roſarum rubrarum, *myrrha* & *mel* in *vino pomaceo auſtero* & tenuis *ſeminum cydoniorum mucilago* cum rubi idæi aut ribeſiorum nigrorum ſyrupo; atque parum *tincturæ myrrhæ per ſe* & *ſpiritus vitrioli* cochleatim interdum, in primis poſt gargariſmata applicata ſumebatur. — Et jubebam quoque, ut *vapor ex floribus roſarum rubrarum*, *floribus chamomillæ*, *myrrha* & *camphora in vini aceto* coctis tam calide, quam ægrotus commode perferre poterat, ſpiritu attraheretur, quod magnum & promptum afferebat levamen.

Licet colli, parotidum cæterarumque glandularum tumor interdum tam ſubito, inſignis & violens accederet, ut ſuffocationem minitaretur, eum tamen aliqua ex parte eſſe criticum generatim exiſtimabam, indeque in eo promovendo cataplaſmatibus acribus, veſicatoriis cæteriſque operam ponebam, imo variis temporibus collo ab aure ad aurem applicavi maximo cum ſucceſſu veſicatoria. — Quorum applicatio in angina conſueta utilis eſt; multo magis vero in hac, ubi humores adeo acres ſunt atque maligni.

Cum ſæpius magna ſatis abdominis tenſio & tumor adeſſet, atque eodem quoque tempore ali-

quo

quo modo urina ſuppримeretur, *fomentum emolliens* cum nonnullis *carminativis ſeminibus*, aut parva *chamomillæ florum quantitas* in *lacte* & *aqua* cocta & clyſma ex iisdem cum *ſale* & *ſaccharo* paratum ad alvi, flatuum urinæque evacuationem promovendam requirebantur: quibus mox inteſtinis levamen afferebatur, atque præter ea inſigniter reſpiratio juvabatur, cum diaphragmatis actionem multo liberiorem redderet. — Equidem, ſi abdomen valde tenſum & ægroti alvus eſſet obſtipata, circa quintum aut ſextum diem generatim *doſin rhabarbari*, *mannam* aut *electuarium* lenitivum exhibebam, atque poſt hæc plerumque *corticem* in *ſubſtantia*; ſed nunquam hoc ita præſcripſi, ſi abdomen valde tumidum & conſtipatum erat; neque prius, quam ſigna quædam coctionis aut ingruens ſummæ cutis apparebat *deſquamatio*; ego enim deprehendebam, *tincturam* meam aut *decoctum corticis* non minorem, quid? quod meliorem edere effectum, quippe quæ multo minorem pectoris efficiant oppreſſionem. Tunc quoque *corticis reſinæ* genere quodam, vini ſpiritu comparato uſus ſum; quam ego multum extracto conſueto præfero, cum iſtud multo facilius in ventriculo hæreat, & multo melius retineatur; ideoque illud ut *officinale remedium* magis convenire exiſtimo.

Cæterum quo minus in hujus morbi principiis convenire videntur purgantia, eo magis mitia, leniaque *cathartica*, qualia ſunt *rhabarbarum*, manna cæteraque in fine illius ſunt neceſſaria, ut putrida ex inteſtinis evacuetur colluvies, quæ alias æſtum protrahit febrilem, & magnam debilitatem, appetitus defectum, abdomen tumidum atque inſignes glandularum obſtructiones efficit; quid? quod ſæpius adſtringebar, ut repetitas exhiberem

calo-

calomelani doſes, ad parotidum glandularumque maxillarium tumorem tollendum, quæ alias tumidæ remanebant per longum temporis ſpatium atque induratæ, tandemque interdum ſuppurabant.—Sæpius profecto neceſſe eſſe reperiebam, ut iſtas antea unguento mercuriali perfricarem, quam reſolvere valerem tumores: porro quoque calomelanum in vermibus deſtruendis conveniebat, quibus hoc tempore in primis ingens afficiebatur cumulus.—In genere vero poſt unum aut alterum purgans cito ægrotus appetitum acrem, vires corporis & animæ recuperabat: in quibuſdam nihilominus crebriores purgationes, continuatus corticis, æthiopis mineralis cæterorumque per inſigne tempus uſus, & tunc lactis aſinini cura & aer ruris liberior ad avertendam devaſtantem hecticam requirebantur: qua nonnulli octo vel decem hebdomadas poſt primum morbi impetum moriebantur.

Hæc procul dubio *febris* ex genere *malignarum*, *peſtilentialium* erat, in quas ſanguis ſumme acer, reſolutus & putridus reddebatur. Iſtam quam maxime fuiſſe contagioſam, cum ſæpius totam inficeret familiam & in primis juniores homines, dubitabit nemo.—Ac hoc contagium valde inſignem acrimoniæ gradum in ſanguine produxiſſe, ex ipſius morbi hiſtoria ſatis luculenter apparet.—Contagium ſanguinem ſimili ratione ut acrimoniam afficere alio loco annotavi: fortaſſe *miaſmata contagioſa*, nihil aliud ſunt, quam ſummæ exacerbatæ particulæ *ſalino-ſulphureæ* & vapores ex corporibus morbo infectis exhalantes.—Cadaverum putridorum fœtorem, membrorum gangræna affectorum, aerem inquinatum, fœtentem carcerum cæteraque ſanguinis *craſin* deſtrue-

ſtruere, & febres malignas, peſtilentiales excitare, ſatis notum eſt: haud ſecus ac ſanies membri gangræna affecti reſorpta & ad ſanguinem delata febrim ejuſdem indolis excitat. — Paucis horis *effluvia peſtilentialia* in vera peſte in ſaniſſimis hominibus reſolutionem putridam & proclivitatem ſanguinis in gangrænam excitare, cum veritate convenit: — & profecto angina hæc maligna parum ab iſta ſua virulentia differebat, cum non fauces ſolum, ſed pulmones, inteſtina, cæteraque in diſſectionibus corporum gangrænoſa & tota ſanguinis maſſa in merum putridum cruorem mutata apparerent. — Materiæ morboſæ quantitatem parciſſimam totam ſanguinis maſſam inficere poſſe, variolas inoculandi experimenta ſatis certo probant, ex quibus apparet, materiam varioloſam ne grani quidem unius pondere ad hunc morbum excitandum ſatis ſufficere: neque hoc mirandum eſt, cum ſatis cognitum habeamus, quam triſtes effectus ex minutiſſima, quam mente concipere poſſumus, quantitate viperæ veneni vel canis rabidi excitentur.

Quamquam maligna hæc ulceroſa angina *morbus ſui generis* videbatur, profecto tamen multum conveniebat cum *febre anginoſa*, quam ego olim in volumine mearum *obſervationum de aere & morbis epidemicis* propoſui: ac tale quoque febris genus nunc ſparſim in hujus regionis parte multum prævalere, ſatis notatu eſt dignum: aſt anginoſæ ſane febri multo magis erat natura inflammatoriæ, quam malignæ, de qua nunc egi, anginæ, & ſanguis plerumque in illa multo denſior & viſcidior occurrebat, quam in hac, ideoque naturaliter multo melius ſanguinis permittebat emiſſionem. — Re vera autem non minus in hac, quam

quam in plurimis aliis morbis epidemicis, ſpeciatim variolis, morbillis, febre ſcarlatina cæteriſque fieri poteſt, ut morbus generalis inſigniter per ægrotorum particularem mutetur conſtitutionem. — Sic contagium varioloſum in alio fibris fortibus, elaſticis & ſanguine valde viſcido denſoque prædito, febrim quam maxime inflammatoriam, in alio debilibus laxiſque fibris ac tenui reſoluto ſanguine inſtructo, febrim lentam putridam & nervoſam excitat, quæ haud ſufficit, ut miti ratione puſtulas protrudat, multo minus, ut illas ad laudabilem producat maturationem. — Breviter, variolæ maxime inflammatoriæ pari ratione multum aut plus differunt a lentarum malignarum genere, ut *febris anginoſa* ab *angina peſtilentiali ulceroſa* differt. — Quantum febris ſcarlatina a MORTONE deſcripta ab illa a SYDENHAMO relata differt? — Et licet quidem peculiare quoddam contagium ſemper eundem peculiarem producat morbum, pro variis tamen hominibus varie differt, & hac in comparatione tractari debet. — Harum certo ulceratarum anginarum quaſdam comitabatur febris ſatis fortis, quæ in principiis ſanguinis emiſſionem cum utilitate perferebat, & in quibuſdam regimen requirebatur multo calidius quam in aliis, — immo variis in caſibus nitrum cum diaphoreticis exhibere me oportebat. — In genere vero, multo calidiora medicamenta in hac, quam in plurimis aliis febribus neceſſaria fuiſſe, fatendum eſt; idque etiam ſæpius, quando æſtus ſatis erat inſignis, alias pulſus mirum in modo imminuebatur, & mira mox ſubſequebatur anxietas & oppreſſio. — Tam calida profecto hoc in morbo alexipharmaca (iſtaque haud raro junioribus hominibus) dare debui, ad

quæ

quæ præſcribenda nihil, quam repetita experientia me impellere potuiſſet: qualia erant *crocus*, *camphora*, *pulv. Contrayervæ*, *confectio cardiaca*, theriaca Andromachi, vinum pomaceum calidum, vinum ebullitum cum aqua, tinctura corticis alexipharmaca cæteraque, atque hæc cuncta cum ſucceſſu ſatis patente & methodum medendi probante.

Febris nomen, ut promiſcue in medicinæ praxi uſurpatur, non eſt vagum quid & indeterminatum. — Sunt quidam morbi generali hoc nomine comprehenſi, quæ in ipſius febris excitatione optime curantur, exempli loco tantum ſint quartana & lentæ febres atque nervoſæ. — Ac angina hæc jam propoſita maligna, alia febris eſt ſpecies, quæ ſatis luculenter probat, non omnes morbos acutos meris evacuantibus & refrigerantibus tractandos eſſe medicamentis, — diluentia propria procul dubio in omnibus conveniunt febribus, quædam autem profecto plura quam decoctum hordei & limonum ſuccum requirunt. Aſt hac de re in libro meo *de Febribus* propoſui plura; & nunc pauca tantum de uſu *ſalium volatilium alcalinorum* in febribus putridis peſtilentialibus aut petechialibus addam, in quibus ne illa ſæpius admodum inconvenienter adhibeantur, timeo.

Atque hic annotandum eſt, ſanguinem in omnibus hujus indolis febribus, ſemper nimium turbatum & reſolutum inveniri, illumque tandem quam maxime acrem & quaſi ſanioſum fieri & putridum. Itaque quicquid acrimoniam & ſanguinis reſolutionem promovere ſolet, illud ad tales febres excitandas earumque malignitatem, ſi quædam contingat, augendam, admodum eſſe debet

aptum;

aptum: volatilia autem alcalina ſalina utrumque ſummo in gradu efficiunt: licet enim ea animalium carnes & ſic quoque aliqua ex parte ſanguinis e corpore emiſſi, retardare ſoleant putredinem (& hoc quoque *arſenicum* aut *ſublimatus mercurius corroſivus* efficiat) cum ſanguine tamen ipſa ſub circulationis actione & vi vitæ poſito commixta ejus rationem indeque putredinem certiſſime accelerant: ſic quoque cum ſanguine extra corpus, aut potius, ſi is ex vena ruit, mixta plenarie globulorum ſanguineorum texturam deſtruunt, eadem fere ratione ut viperæ venenum copulam aut cohæſionem particularum componentium diſſolvit; & ſanguis ex homine robuſtiſſimo (immo quoque ſanguis maxime tenax equi, ut ſæpius tentavi,) ita tractatus nunquam concreſcit, ut alias ſolet, in craſſamentum, & ejus ſerum ſeparat, ſed ab iſto tempore remanet laxus, reſolutus cruor aut ſanies.—Nunc porro obſervare mihi liceat, hæc volatilia ſalia alcalina (aut ſpiritus) larga in quantitate crebriuſque ſumta etiam in ſanis hominibus, ut ſatis cognitum eſt, excitare æſtum febrilem, hæmorrhagias, gingivas ſpongioſas cruentas, ſpiritum fœtentem, urinam male-olentem cæteraque: Symptomata ingruentem ſanguinis reſolutionem & putredinem ſatis indicantia.

Præter ea hi turbati atque reſoluti ſanguinis globuli apti ſunt, ad ſeroſas lymphaticaſque arterias ingrediendas, & cum non liberum tranſitum ad earum ramificationes inveniant, ibidem ſtagnantes corrumpuntur, tandemque hæc ſumme tenuia vaſa corrodunt, in primis ſi ſalibus acribus ſunt ſaturati, quæ eodem tempore etiam hos adeo tenues canales valde irritant, calorem augent,

gent, & ita citiorem corruptionem tam humorum, quam vaſorum efficiunt: & quando putrida hæc lympha atque ſerum reſorpta ad ſanguinis maſſam perferuntur, eo magis corruptionem accelerant generalem.

Salia quoque volatilia alcalina cuti externæ applicata eam ſatis cito corrodunt & ulcerant, & id ſane fieri ſolet, ut iſta interne data, multo majorem *excitent calorem* quam calidiſſima alexipharmaca vegetabilia eadem in quantitate exhibita.— Illudque, ut exiſtimo, non tam vim progreſſivam & circulationem ſanguinis augendo quam motum inteſtinum & effervescentiam in eo efficiendo; accuratiſſime enim tentatis experimentis repertum fuit, ſalium volatilium alcalinorum ſolutiones fibrarum tonum, vaſorum robur, indeque *momenta ſanguinis* in *ordinario circulationis* curſu debilitare.— Atque ipſe eventus oſtendit, ſi ſanguis ſalibus acribus abundat, pulſum fieri debilem, tenuem, celerem & tremulum, ut in ſumme ſcorbutico iſtoque corrupto ſtatu ſanguinis acri, qui putridam febrem, varias deſtructiones *a cauſa interna*, ut dicitur, antecedentem excitat, in quibus binis vires naturæ & ſpeciatim arteriarum ſeſe contrahendi robur inſigniter infringuntur, licet hæc celeritate increſcat, ad defectum vigoris naturalis & plenitudinis compenſandum, quæ in libera & firma arteriarum ſanguine juſte repletarum & convenienter motarum contractione obſervatur.— Cordis mollities & flacciditas ſingularis, quæ plerumque in ſcorbuticis & peſtilentialibus caſibus deprehenduntur, a debilitate & magna ejus muſcularium fibrarum relaxatione dependent.— Æſtus iſtius irritantis peculiare genus, quod plerumque in cute hominum

num putridis malignisque febribus laborantium, perſentiſcimus, a ſalibus acribus & ſulphure ſanguinis abundantibus ejuſque motu inteſtino, neutiquam ab ejus aucta vi progreſſiva provenire videtur; nam in primo cutis attactu, æſtus, parum valde vel vix naturali eſſe videtur major, ſed per longum temporis ſpatium digitos ei applicando, ingratus perſentiſcitur in ea calor urens, cujus ſenſus per breve aliquod tempus in digitis prorſus ab ægroto remotis remanet: quod *Doctor* PRINGLE erudite in eximio libro *de morbis exercituum* (*Treatiſe on the Diſeaſes of the Army*) & GALENUS, ut candide obſervavit, longe ante ipſum annotavit. — Hoc *Dominus* QUESNOY vocat *calorem acrimoniæ*, & recte ſatis ab *inflammationis calore* diſtinguit. — Qui ſenſus profecto ita differt, ut attactus ligni ſicci valdeque calidi & immerſio digiti in tepidum cornu cervi ſpiritum. — Atque, hanc obſervationem abundantiam ſalium acrium perſpiratione in his valde putridis febribus extricatorum evidenter probare, exiſtimo. Itaque æſtus ille urens, quem ægroti his in morbis in interioribus ſentiunt, licet partes corporis externæ ſane ſint frigidæ, probabiliter ab eadem cauſa exoritur. — Atque non poſſum, quin exiſtimem, æſtum in febribus obſervatum deſtructiones ab *interna cauſa* præcedentem, & comitantem, ab acrimonia & motu inteſtino humorum, non profecto a rapido motu progreſſivo oriri, pulſus enim tunc ſemper debilis & tenuis, licet ſit celer, deprehenditur. Mirus, ſubitaneus & inſignis fœtor, tumor & ſanioſæ hæmorrhagiæ provenientes ex omnibus corporis colatoriis illorum, qui putridis malignis pereunt febribus, motus

motus inteſtini inſignis, rarefactionis & acrimoniæ humorum ſunt argumenta. — Hoc plerumque eveniebat in illis, qui febre ſupra propoſita maligna anginoſa moriebantur. Totum corpus uſque ad manum pedumque digitos livore cadaveroſo inſigniter intumuiſſe, perſpexi, licet prorſus fere eſſet frigidum, non minus quoque intolerabilis fœtor antea, quam homo re vera moriebatur, oboriebatur, eodemque tempore ſanguis ex auribus, naribus, ore & inteſtinis effluebat: idque tunc etiam obſervabatur, cum pulſus valde debilis & tenuis, licet ſumme celer, ab ipſis eſſet principiis. Nonne hoc a majori dependebat aeris copia in ſanguine ab inteſtino motu, calore & putredine exorta, quæ aerem generare, ſatis notum eſt? Nonne emphyſema, in ſphacelo interdum obſervandum, ab eadem cauſa dependet?

Aſt, ut pergam ſi naturam & geneſin ſalium animalium conſideramus, fortaſſe paulo altius in hanc penetrare poſſumus materiam. — Vegetabilium acida fortiſſima, in cibis noſtris aſſumta, vi vitæ cito mutantur in neutra aut in genus ſalis ammoniaci, & cum diutius diutiuſque vaſorum actioni & ſanguinis calori exponantur, illa magis magiſque ad alcalinam accedunt naturam, tandemque fiunt alcalina, niſi diluantur, abluantur & potu ac diæta aceſcente corrigantur. — Qui nulla alia re, quam mera aqua, carne & piſcibus vivit homo, abſque ulla re, vel acida vel aceſcente, ſubito contrahit in omnibus humoribus valde inſignem rancorem (*ranknes*); febricitare incipit, tandem ſanguis ejus in putredinis ſtatum ruit. — Illorum ſanguis,

guis, qui fame pereunt, ſumme acer redditur, quo generantur febris, phrenitis, & tantus putredinis gradus, qui omnino vitália deſtruit principia. Cujus rei exemplum admodum melancholicum aliquando in viro nobili egente inveni, qui obſtinata fame mortem ſibi ipſi conſciſcere, neque vi neque perſuaſione per plures dies ullum cibum aut guttulam potus deglutire volebat. — Qui ſubito febre corripiebatur, os rubore & caput ejus inſigni offundebatur calore: pulſus ejus erat tenuis, at valde celer; poſt quinque vel ſex dies ejus ſpiritus maxime infenſus, ejus labia ſicca, nigra, arida, ejus dentes & fauces putrida, nigra, cruenta, urina (ſi obtineri poterat) profundiſſimo colore tincta, majorem, quam ſi per menſem repoſita fuiſſet, ſpargebat ſœtorem; tandem perpetuo obtremiſcens neque ſtare, multo minus incedere valebat, delirio & vertigine alternantes correptus convulſivis mortis contentionibus crebrius afficiebatur, in quibus ſæpius circa caput & pectus ſatis inſignis extricabatur ſudor, licet ejus membra prorſus frigida, pallida & corrugata eſſent; ſudoris color erat profunde luteus & fœtor admodum nauſeoſus.

Itaque certa res eſt, ſalia animalia, ſi non juſte & conſtanter urina eliminentur quam maxime fieri perniciofa, ut in iſchuria, continuo enim magis magiſque ad ſtatum accedunt alcalinum. — Urinæ ſuppreſſionem pertinacem fieri mortiferam non tam ab aucta quantitate, quam ab acrimonia humorum dependet; ſatis enim cito hoc ita accidiſſe, perſpexi, ubi ægro-

grotus largas valde evacuationes per ſudorem & alvum durante toto ſuppreſſionis tempore habuit; in mentem præcipue revoco, ante aliquot annos *renalem iſchuriam* fœminæ nobili pingui die ſuppreſſionis undecimo attuliſſe mortem, licet ipſi bis large ſatis detraheretur ſanguis & per totum temporis ſpatium alvus retineretur laxa, indeque non humorum periret abundantia. — Ab ipſius impetus tempore uſque ad ejus mortem ne guttulam emittebat urinæ, quamquam non minus *cantharides* in ſubſtantia earumque tincturam, quam alia medicamenta, ſpeciatim largas *calomelani* aſſumebat doſes. Etſi quidem cantharides ſatis ſperato cum effectu datas fuiſſe in iſchuriis, crebrius perſpexi; attamen, ſi illa non cito expectatione reſpondent, ſed diutius larga in quantitate continuantur, timeo, ne ſimul acribus cum ſalibus agant, & ægroti mortem accelerent, excitando deliria & convulſiones, ut pluries perſpicere mihi minus ſecunda contigit fortuna.

Sed ut ad Propoſitum meum redeam. — Salium volatilium alcalinorum effictio in corpore non adeo productioni earum extra iſtud videtur eſſe abſimilis. — Plantæ viridis genus aliquod, ſit quoque acidiſſimum, in magnum acervum comprimatur, ſubito calorem contrahit, & gradatim magis magiſque incaleſcit, (ad tantum tandem intenſum gradum, ſi quantitas eſt larga admodum, ut veras concipiat flammas) & hæc efferveſcentia ſubito totam maſſam reddit putridam, & ſal acidum atque eſſentiale plantæ in volatile mutat alcalinum,

quod deſtillatione ex maſſa putrida elici poteſt, & ſua eſſentia nullo reſpectu a ſale alcalino volatili ex animalium ſubſtantia extricato differt; utrumque & hoc & illud ſunt effectus caloris & motus in ſalia vegetabilium, & quo diutius & fortius vi & æſtu noſtrorum ſolidorum & fluidorum ea circum aguntur, eo magis ad alcalinum ſtatum evehuntur, in quo prorſus ad uſus vitæ communes ſunt inutilia, immo fiunt quam maxime deſtruentia, ſi valde abundant, ut in vere putridis, peſtilentialibus & petechialibus febribus procul dubio fieri ſolet, ideoque, in tali caſu ægrotis ſalia alcalino volatilia exhibere, nihil aliud eſſe, quam oleum camino addere, exiſtimo, hæc enim profecto ſanguinis globulos reſolvunt aut diffringunt, indeque eo citius generalem inducunt putredinem. — Quæ ſalia quoque externe cuti applicata ſubito excitant ulcus gangrænoſum: atque ſanguis illis large refertum, mutatur in lixivii acris genus, quod *fibrillas nervoſas* & *ultima vaſcula* valde deſtruit. — Et hoc profecto eo certius, frequentius & citius evenit, quam evenire ſolet, quando largo acidorum, diluentium rerumque mite mucilaginoſarum uſu in cibo & potu abluendo corrigendoque illud avertatur; prouti videmus, ſuccum limonum atque acetum eorum omnino tollere acrimoniam: illa profecto ita adhibita variis in morbis mutantur in remedia utiliſſima.

Antea, quam finem his impono, ut ſequentem caſum ſingularem afferam, mihi ſit licitum, quippe qui non prorſus a propoſito noſtro eſt alienus.

Virum

Virum quendam fortuna & familia nobilem nuperrime curabam, qui ad magnæ *ſalium volatilium* quantitatis uſum ita ſe adſuefecerat, ut fœminæ illum olfactu perſentiſcerent, ut tandem iſta mirum ſane in modum ederet, prouti alii homine *ſemen carvi ſacharo conditum* edunt. — Δριμυφαγία exſecranda. — Cujus effectus cito hi erant, ut febris hectica, ingentes hæmorragiæ ex inteſtinis, naribus & gingivis accederent, omnes ejus dentes exciderent, nihilque ſolidi edere valeret; ejus carnoſæ partes inſigniter diminuerentur, & ejus muſculi tam molles & flaccidi efficerentur, ut muſculi recens nati infantis; atque in toto ejus corpore erumperent puſtulæ intolerabiliter prurientes, ita ut ſeipſum continuo ſcalperet & cutim cum unguibus impetuoſum ſatis in modum dilaceraret; ejus urina ſemper profundiſſime tincta, turbida valdeque fœtida apparebat. — Tandem magna cum difficultate, ut hunc nocivum relinqueret guſtum, commovebatur, at tam efficaciter ejus conſtitutionem pervaſtaverat; ut, licet per varios menſes miſerrima ratione traheretur, tabidus tamen ſummoque in gradu periret maraſmi; — atque ipſum multo citius mortum fuiſſe, perſuaſum habeo, niſi conſtanter vina bibiſſet liberalius optima generoſioraque, & larga in quantitate lac aſininum atque ſuccos antiſcorbuticos cum ſucco aurantiorum ſevilianorum, limonum cæteriſque bene acidulatos adhibuiſſet.

Tantum vero, miſſis his omnibus abeſt, ut exiſtimem, ſalia alcalino volatilia ex materia medica ejicienda, eorumque uſum omnibus

in caſibus eſſe contemnendum, ut potius cer-
tiſſime credam, illa in variis maxima cum
utilitate exhiberi poſſe. — Re vera autem
ſemper excipio illos ſupra memoratos.

OBSER-

OBSERVATIONES
MEDICÆ ET CHEMICÆ
DE
ANTIMONIO.

PRÆFATIO.

CUm ego ſequentem de antimonio diſſertationem in medicorum juniorum uſum primum componerem, ut illam in peculiari libello promulgaret, bibliopolæ meo permittebam, nihilo minus eam tanto honore afficiebat regia ſocietas, ut commentationum philoſophicarum voluminis quadrageſimi octavi parti ſecundæ inſereret. — Interim ibidem methodi eſſentiam aut vinum antimonii (quod ego adeo commendo, & quo tam frequenter utor) parandi nulla datur deſcriptio, ideoque eam hic proponam; cum in primis variæ diſquiſitiones ad methodum a me deſcriptam tentatæ fuerint; quæ methodus profecto admodum facilis & hæc eſt.

Vitri bene præparati antimonii uncia una in pulverem redigatur, cui vini boni frigidi maderaici unciæ viginti quatuor affundantur, per decem aut duodecim dies id interdum agitando reponatur. — Quo facto ſubſideat per unum aut alterum diem, effundatur vinum, & coletur per chartam bibulam albam, & in lagena vitrea bene obturata ſervetur. — Tali modo præparatum id per plures annos bonum conſervari poteſt. — Vinum maderaicum aliis præfero, cum melius conſervetur quam plura alia vina: vinum generoſum hiſpanicum album bene quoque convenit. Aromata ſtomachica, quæ ut cum antimonio infunderentur, antea jubebam, omitti poſſunt, cum non magni ſint momenti.

Anti-

Antimonii vitrum in mortario ex orichalco vel ære confecto in pulverem redigendum vel fortius terendum non eſt, ne cupri particulæ deterantur quæ poſtea vino quoque ſolvuntur. — Hoc profecto generatim in quacumque ſubſtantia minerali duriore conterenda tam in experimentis ad medicinam pertinentibus quam aliis caute obſervandum eſt.

Vinum hoc antimoniale in ſero lactis, infuſo Thee, vino, cereviſia, vino pomaceo, breviter quocunque in liquore aqueo aut vinoſo a triginta vel quadraginta uſque ad ſexaginta vel octoginta guttulas adultis ut alterans, attenuans & diaphoreticum dari poteſt; niſi quod prima doſis plerumque lenem nauſeam aut ventriculi ægritudinem, & interdum quoque lenem vomitum cum una aut altera alvi dejectione excitet. — Quodſi vero quis eo per duos aut tres dies uſus eſt, vix ullo modo eo afficitur ventriculus. — Largiorem doſin plures alvi dejectiones & vomitum fortiorem excitaturum eſſe, ut mentionem faciam, vix neceſſarium eſſe videtur; aſt non poſſum, quin profitear, hoc fieri majore cum ſecuritate, quam in plurimis aliis emeticis aut draſticis catharticis.

Ego vero tædium parerem & acta agerem, ſi plura ſpeciatim proferre vellem, ſiquidem hoc non in ſequenti ſolum diſſertatione, ſed & in libro meo de *aere & morbis epidemicis* (*) ac in libro *de febribus* (**) præſtiti. — Cæterum & hoc & quodlibet aliud medicamentum peculiarem in modum ita accommodandum eſt, prouti rerum ratio & ægroti conditio id exigit.

OBSER-

(*) Vid. Obſervat. noſtræ de Aere &c. Tom. I. pag. 146.
(**) Vid. Lib. de Febribus pag. 191.

OBSERVATIONES MEDICÆ ET CHEMICÆ DE ANTIMONIO.

VIX bina elapſa ſunt ſecula, cum medicus antimonialia præſcribens ex facultate expelleretur; quid? quod Romæ illi, qui pulverem CORNACHINI adhibebat, pœna irrogabatur, ut ad triremia mitteretur, idque ob antimonium diaphoreticum, immixtum. Nunc e contrario antimonium quacunque forma eſt magnum illud catholicon, quotam empirici quam medicinæ doctores utuntur. Dubio procul id eſt egregium minerale, ſi juſte præparetur & prudenter adhibeatur.

Quicunque autem antimonialibus medicamentis cum utilitate & ſucceſſu uti vult, ille ut analyſin hujus mineralis & elementa conſtitutiva bene habeat cognita & quem variæ ejus compoſitiones, præparationes & harum doſes edant effectum, ſciat, neceſſe eſt; alias loco medicamenti erit venenum. Quis enim harum rerum minus peritus crederet, ſex vel octo hepatis aut reguli antimonii grana & multo quoque minorem ejus vitri quantitatem excitare poſſe vomitum violentiſſimum, cum e contrario drachma una vel plus cru-

crudi aut tantum communis depurati antimonii officinarum cum utilitate & ſucceſſu ſumi poſſint? Porro vero, ſi partes æquales antimonii & nitri deflagrantur & in unum corpus fuſione miſcentur, admodum fortis antimonii producitur hepar; at enim vero ſi tres hujus ſalis partes & una antimonii detonantur ac convenienti igne calcinantur, mera calx iners aut antimonium diaphoreticum, ut dicitur, provenit, nulla ratione emeticum aut catharticum. Ex altera parte, ſi quis octo nitri partes cum antimonio liquefacit, mite admodum reguli medicinalis genus inde obtinetur. Pari ratione, ſi una ſalis tartari pars cum quinque antimonii crudi partibus liqueſiunt, valde mite antimonium medicinale, vel ut plerumque nuncupatur, regulus antimonii medicinalis paratur; nihilo vero minus, ſi duæ vel tres ſalis fixi alcalini & una hujus mineralis pars fuſione commiſcentur, valde draſticum hepatis antimonii genus & plerumque parva reguli quantitas inde producitur. Quid? quod antimonium bene uſtulatum, calcinatum & liquefactione in vitrum ſine ullius alius corporis additione mutatum, fit vehementiſſimum in rerum natura emeticum: ſi autem verum hoc vitrum radiis ſolis concentratis ope lentis cauſticæ majoris iterum calcinatur, mox in calcem inertem aut antimonii diaphoretici genus mutatur. Idem efficitur, ſi antimonii vitrum cum æquali circiter nitri quantitate deflagratur.

Hæ ſunt res, de quibus nihil quam repetita nos certiores reddere poſſunt experimenta; quod quamvis mirum videri poſſit, fortaſſe tamen, ſi propius ad hujus rei diſquiſitionem accedimus, rationes ejus ſatis clare detegere poterimus.

To-

Totius rei cardo in hoc verti videtur; purum & crudum antimonium e multo ſulphure & multo majore regulinæ metallicæ partis quantitate conſtat. Sulphur aut ad minimum id, quod ſulphur externum appellari poteſt, parum vel nihil a conſueto differt ſulphure, ut HELMONTIUS putavit, atque BOERHAAVE, HOFFMANN & GEOFFROY evidenter probaverunt; atque, licet ſulphur antimonii arſenicale, ut dicitur, valde virulentum eſſe, veteres putaverint chemici, quemlibet tamen nunc hoc concedere credo. Atque ſulphur hoc, ſulphuri vulgari ſimile, acido vitriolico & bituminoſa aut inflammabili ſubſtantia componitur; ac quidquid BASILIUS VALENTINUS, CHARRAS, aliique de vini aceto antimonii loquantur, nihil tamen in eo aliud, quam quod propoſui, deprehenditur; neque ullum aliud ſalis genus in antimonio adeſt, quam acidum vitriolicum, non obſtantibus MAETS, DUNCAN BORNETT, cæterorumque opinionibus.

Licet vero principio ſulphureo abundat antimonium, id tamen multum ſuperat regulinum, & profecto verum corpus aut eſſentiam antimonii efficit, & in eo ſolo vis ſita eſt draſtica & emetica proprietas, ut *D.* GEOFFROY ſatis demonſtravit, & de quo, ut exiſtimo, nunc pauci dubitant medici; nulla enim antimonii præparatio exiſtit emetica; quæ principio regulino non inſigniter abundet, quam ob rem nulla antimonii tinctura, cum ſpiritu vini rectificato parata ullum in gradum eſt emetica.

Regulina hæc ſubſtantia aut antimonium, proprie ſic dictum, eſt ſui generis ſubſtantia metallica, tota fere volatilis, ſi fortiore urgetur igne,

nul-

nullaque adhuc cognita ratione ad ſtatum redigi poteſt malleabilem. Alius eam mercurii, alius arſenici habere naturam, vult, hæc vero vario reſpectu differre videntur. Nulla cognita methodo ex antimonii regulo aut ejus floribus cum ſale ammoniaco extricari poteſt mercurius vivus, quidquid jactaverunt alchemici imaginarii. Quantitas iſta adeo parva, quam GEOFFROY ex eo extraxiſſe ſomniat, nunquam iterum ipſo iſto procedendi modo, materia & maxima cura adhibita extrahi poterat. Siquidem, ſi regulina antimonii pars re vera mercurialis eſt, quomodo fieri ſolet, ut mercurius in forti calcinatione & præcipue in tali intenſo calore, qualis ope lentis cauſticæ efficitur, non prorſus in auras abeat? Atque, ſi avolat, ut nonnulli obſervarunt, qui fieri ſolet, ut calx remanens poſt talem violentam ignis actionem, adeo facile mera vulgaris alicujus phlogiſti additione, quale eſt ſulphur, carbonum pulvis, animalium pinguedo aut ſimile quid, in priſtinam ejus regulinam metallicam ſubſtantiam reducatur? Aſt mercurius nulla profecto in forma tam intenſum ſuſtinebit calorem, ſed ſubito prorſus evaporat, ac ſic quoque regulus, ſi ei mercurii eſſet indoles, evaporaret; cujus nihilo minus calx ignis hujus vi probata ut dixi, facile iterum in proprium reſtituitur regulum. Antimonium purum ab arſenico differt, cum ne ullum quidem alii odorem, arſenico, ſi comburitur, proprium, habeat. Neque antimonii regulus ullo modo, ut arſenicum in aqua aut oleo tartari per deliquium ſolvitur, in quo tamen arſenicum album prorſus fere diſſolvitur. Præter ea particulæ arſenici & antimonii conſtitutivæ prorſus figura differunt: illæ enim

binas

binas pyramides quatuor lateribus præditas & baſi conjunctas oſtendunt; hæ vero acubus quaſi ſunt ſimiles, atque hoc ſpeciatim in minutiſſimis antimonii diviſionibus, ſolutione, ſublimatione cæteriſque fieri ſolet, prouti in floribus antimonii per ſe, & in reguli ejus ſolutione cum vino mirum in modum perſpicitur, ſi ea in vitri fruſtulum aut ſimilem quandam rem impoſita ope microſcopii contemplamur: quid? quod ſi in antimonium vitrum aut calx reducitur, id ſpiculorum acuumque figuram iterum aſſumit; ac ſine ulla re addita ſi mercurius vitæ liquefit, regulus ſpiculis formatus, vel mera talium aculeorum aut acuum maſſa oritur.

Ab hac profecto ſpiculis aut aculeis efficta forma (quæ in minutiſſimis regulinæ ſubſtantiæ particulis conſtanter remanet) dependere videtur hoc, ut antimonii præparationes ejus emeticam accipiant qualitatem. Sic corpora ſalina aculeis ſuis aut acubus ſtimulant; mercurius ſublimatus ſalibus pondere mercurii adhærentis exagitatis corrodit; arſenicum ejus rigidis acerrime aculeatis, gravibus particuli. Quod ſi enim larga ſulphuris quantitate obducuntur ſpicula hæc regulina, ut in antimonio crudo, talem vim non exſerunt, atque ſi antimonii regulus cum pluro ſulphure miſcetur fuſione, omnino adeo redditur iners quam minera cruda. Pari ratione antimonii regulus vel vitrum cum cera liquefacta multo, quam antea erant, redduntur mitiora. Immo ipſa venenata albi arſenici fortiſſimi indoles intimiore cum ſulphure unione ope fuſionis mirum in modum tollitur.

Itaque hæc ſulphuris obductio acrium horum corporum aculeos obtundere vel vagina inclu-

dere

dere atque irritationem auferre videtur, quam alias in tunicis ventriculi & inteſtinorum nerveis ederet. Hoc dilucide in vitro antimonii cerato apparet; quod, licet per ſe ſit omnium emeticorum violentiſſimum, ita tamen multo mitius redditur, & adultis a quatuor, ſex vel octo ad ſedecim uſque grana ſecure & quibuſdam in caſibus magna cum utilitate dari poteſt, cum e contrario duo vel tria vitri in pulverem contriti grana vomitum excitent periculoſiſſimum. Quibus vero in tranſitu addere liceat, vim vitri antimonii cerati diu antea præparati draſticam, ſi denuo in pulverem ſubtilem conteratur, multum augeri, cum trituratione cera ab eo ſeparetur & ejus aculei magis reddantur nudi: ita ut illud ipſum, quod mox propoſui, comprobet. HARTMANNI chyliſta, ſive vetus vitri antimonii cum gummi maſtichis præparatio, qua in ſpiritu vini ſolvitur & poſtea ſpiritus vapore diſſipatur, ejuſdem quidem indolis, aſt non tam tuta, ut ego exiſtimo, eſſe videtur. Interim neque hac neque illa vitri antimonii præparatione, quæ repetita ſpiritus vini ſuper id efficitur deflagratione, uſus ſum, de qua GEOFFROY dicit, grana decem vel duodecim tuto dari poſſe; cum pars ſpiritus vini oleoſa ſpicula antimonialia involvat vel obtundat, atque vitrum aliquo modo iterum ad priſtinum antimonii ſtatum, quem in origine habuit, reducat. Mercurialia cum ſale præparata ſpiritus vini deflagratione ſuper ea repetita multo mitiora reddi res eſt certiſſima.

Igitur, quo minus ſulphuris externis partibus antimonii regulinis adhæret, eo vehementior earum erit operatio & vice verſa. Sic in bepatis antimonii vulgaris præparatione magnam ſulphuris

ris partem ſimul deflagrat & abripit nitrum, unde antimonii hepar emeticum fit fortiſſimum, (quid nitri in alcali converſio porro in hoc procedendi modo efficiat, in præſenti conſiderare nolo.) Atque idem omnino evenire ſolet, ſi regulus vulgaris comparatur; &, ſi in regulo martiali efficiendo ferri limatura adhibetur, hoc fieri ſolet, ut ferro ſulphur abſorbeatur antimoniale. Pari ratione in antimonii calcinatione ad vitrum efficiendum, primum uſtulatione & poſtea multo perfectius expellitur ſulphur, ſi reſiduum igne fortiori liquefit in vitrum, unde id vim emeticam accipit violentiſſimam, quæ tota nihilo ſecius ſubito deſtruitur, ſi iterum cum multo ſulphure fuſione commiſcetur.

Quamquam vero rude hoc externum ſulphur non abſolute ad regulinæ, metallicæ partis conſtitutionem eſt neceſſaria, ad reguli tamen ut reguli exiſtentiam quam maxime poſtulari videtur internum aut metallicum ſulphur: quod ſi enim antimonium omni ejus ſulphure per humidam aut ſiccam calcinationem, ut dicitur, prorſus privatur, corpus metallicum aut antimonium eſſe deſinit. Ita antimonium radiis ſolis fortiter concentratis expoſitum, in meram calcem inertem aut caput mortuum mutatur ac nullo unquam modo in naturam & formam ei ab origine propriam, niſi alicujus ſulphurei corporis additione reduci poteſt. Idem evenit, quando larga nitri quantitas cum antimonio deflagratur, donec omne ſulphur ſit combuſtum, ut in antimonio fit diaphoretico vulgari. Sic quoque in humida calcinatione hoc fieri ſolet, quando ſpiritus vitrioli fortis regulinæ maſſæ affunditur, qui eam extrahit atque phlogiſton relinquit liberum; pari

enim ratione hæc calx non, niſi pabulo aliquo ſulphureo intimius cum ea fuſionis ope mixto reduci poteſt. Olei vitrioli odor ſulphureus inſignis, ſi id deſtillatione aut pari quadam re expellitur, phlogiſton & unde hoc veniat, prodit. Præter ea calx iſta omnino alba eſt, neque ullo modo cum nitro deflagrare vult; quod, omnem ſulphuream materiam deficere, eſt argumento. Nihilo ſecius calx hæc ſulphure proprio addito ſubito in regulum mutatur, & tunc cum nitro more conſueto deflagrat.

Ergo, aliquod ſulphur internum metallicum (quod vero fortaſſe parum aut nihil a vulgari externo ſulphure differt) ad terræ metallicæ compoſitionem & quoque ad regulinam ſubſtantiam ac formam effingendam ſumme neceſſarium eſſe, apparet, ſine quo ea iners & minus cohærens remanet moles, omni antimonii virtute prorſus privata. Sic pulvis, minera aut cineres ferri haud nocent & tuto deglutiri poſſunt; quod ſi vero ex eo cultri & acus fuerunt effecti, caſus immenſum in modum mutatur. Interni hujus principii ſulphurei neceſſitatem non in antimonii ſolum, ſed quoque in perfectiorum metallorum compoſitione cognoſcimus, quæ lentium cauſticarum ope (vel alia ratione) calcinata in ſtatum eis proprium metallicum malleabilem non, niſi additione alicujus ſulphuris, ut diſſolutarum particularum terrarum metallicarum conjunctionis vinculi, reduci poſſunt. Quodlibet vero ſulphur, vel animale vel vegetabile vel minerale, pinguedinem, pulverem carbonum ſeu ſulphur ipſum, æquali ratione iſtarum terrarum concretionem & cujuſcunque metalli differentis regenerationem efficere, annotatu ſatis eſt dignum; ita ut tantum ſulphur ut

ſul-

ſulphur eſſe videatur, quod ſolum ad novam compoſitionem requiritur. Haud abſimili ratione, ut in vegetabilibus ad ſtaminum cohæſionem requiritur oleum conglutinans; quo igne conſumto, ea in meras mutantur cineres. Ergo, metallorum differentiam a differentibus terris metallicis ſpecificis, ut ita dicam; & non a differente proportione, compoſitione & puritate principiorum ſulphureorum aut mercurialium, ut *D.* HOMBERG aliique crediderunt, dependere; hoc comprobare videtur. Interim, quomodo unorum eorundemque carbonum ſulphur ad formam atque ſubſtantiam ex cineribus non ſolum ferri, cupri, & ſtanni, ſed quoque pari modo ex calce argenti & auri metallicam eis propriam reſtituendam, inſervire poſſit, me fugit. Porro autem, ſi hæ terræ metallicæ origine ſua re vera ſunt mercurialis indolis, & ita poſt calcinationem remanent, qui fieri ſolet, ut earum mercurius talem immenſum caloris gradum, qualis iſte lentium cauſticarum eſt, perferant? cum e contrario nulla mercurii præparatio cognita; multo minus vero mercurius ipſe tertiam ejuſmodi caloris partem ſuſtineat, quin totus diſſipetur, atque hanc ob rationem mercurialia, ut mercurialia, nunquam in vitrum poſſint converti: quæ vero metallorum terræ aut cineres hunc immenſum caloris gradum ſuſtinent, in vitrum convertuntur ideoque non ſunt mercurialis indolis; atque eorum calx alicujus ſulphuris additione iterum in metallum reduci poteſt: ego vero credo, fore, ut nemo dicat, carbones ipſis in reductione reddere mercuriale principium.

Hic fortaſſe quis ex me quærere poſſit, quænam arguant; in bene purgato antimonii regulo

aut ejus vitro adeſſe ſulphur? ad hæc reſpondeo, nullus dubitare poterit quin in regulo adſit, cui notum eſt, optimum antimonii regulum cum nitro perfecte candeſcenti crucibulo injectum deflagrare & plures vel minores exhibere ſcorias: quæ cum ſale fixo alcalino liquefactæ hepatis antimonii ſpeciem efficiant; atque ſulphur facile ſeparari poteſt, ſi in aqua regia diſſoluitur. Hoc vero cognitu haud eſt difficile; non adeo facile profecto in antimonii vitro detegitur ſulphur, ſed evidenter adeſt; quando enim vitrum in pulverem tenuiſſimum contritum cum vini aceto deſtillato fortiſſimo digeritur, eum maxime tingit & imbuit emetica qualitate: atque tinctura hæc evaporatione in extractum redacta tincturam præbet ſulphuream, ſi ſpiritus vini affunditur rectificatus: quando autem cum eo ipſo vitro modus procedendi cum aceto vini deſtillato aut ejus ſpiritu concentrato variis temporibus repetitur, id tandem ei neque tincturam, neque vim emeticam impertitur, ſed mortua, obſcure tincta, iners remanet maſſa, cum omne ſulphur extractum & in meram calcem reductum fuerit vitrum. Siquidem vitrum antimonii ipſum aliquo modo cum nitro deflagrabit; ex quibus, id ſemper aliquid principii ſulphurei retinere, apparet; atque, ſi id mitius & innoxium reddere volumus, ut vitri ſulphur cum nitro aut ope lentis cauſticæ comburatur, neceſſe eſt: quod profecto metallicæ vitri naturæ eſt deſtructio.

Spicularum vero regulinarum præſentiam in antimonii vitro & quidem iſtam formam demonſtrare, cui maxima ex parte qualitatem adſcripſiſſe videor emeticam, res eſt multo difficilior; cum tamen antimonii vitrum omnium ejus præparatio-

num

num ſit violentiſſima. Ipſo in vitro ſpiculas aut acus nullo modo apparere, ego ipſe profiteor; vere autem apparent, ſi vitrum in vino digeritur & diſſolvitur atque deinde hujus liquoris guttula vitri fruſtulo injecta ope microſcopii conſideratur. Atque porro, vitrum antimonii cum pauco ſulphure vulgari in regulum reductum formam commonſtrat ſtriatam acubus ſimilem. Pari modo antimonium calcinatum modico igne liquefactum ſæpius exhibet maſſam, quæ partim regulum ſtriatum, & partim vitrum refert; tam parva intereſt differentia. In vitro vulgari ſal non apparet, licet illud vere inſit & interdum adeo laxe cum terra vitreſcibili componatur, ut vinum, in ejuſmodi lagenis vitreis ex tali perverſa vitrea materia præparatis reſervatum, aliquid ex ſale diſſolvat, indeque male ſapiat, & inſalubre fiat. Præter ea vitri antimonii cerati præparatio non parum veritatem illius, quod propoſui, confirmare videtur, fortaſſe enim cera cum eo liquefacta nihil aliud efficit, quam ut partes regulinas acutas involvat: atque hoc eo magis probabile eſſe videtur, cum larga ſulphuris quantitas cum arſenico albo liquefacta arſenici ſpicula involvat eaque multo minus, quam antea erant, reddat noxia. Pari ratione ex vitro antimonii ipſo, cum juſta ſulphuris quantitate efficitur ſpecies reguli admodum mitis.

Medicamentorum quorundam agendi modus quam maxime difficilis eſt explicatu. Quis dicere poteſt, cur unum aut bina opii crudi grana ſomnum inducant profundum? vel cur parca cantharidum doſis adeo peculiari & forti ratione afficiat vias uriniferas? cur duo aut tria elaterii grana majori violentia operentur quam quinque

aut ſex ialappæ? ſive cur admodum parva vitri antimonii quantitas excitet vomitum adeo periculoſum?

Antimonii vero qualitas emetica ſive ab ejus ſpiculis ſive minus dependeat, ea profecto regulinæ ſubſtantiæ ineſt; nulla enim hujus mineralis præparatio, niſi quæ regulinis partibus inſigniter referta eſt, vim habet emeticam; quæ partes, niſi plurimo cum ſulphure obducantur, ſemper vim vomitum excitandi exſerunt; atque hoc efficiunt, ſeu in ſubſtantia ſeu proprio quodam menſtruo, quale eſt vinum, vinum pomaceum, vini acetum vel ſimile quid, diſſolutæ dentur. Aqua ut aqua nihil ex regulo antimonii ſolvit, cum neque ſulphureas, neque metallicas partes afficiat, vini ſpirititus nullo modo in partem regulinam edit effectum; acidum vero vegetabile ſaponaceum in utramque vim ſuam exſerit, & veram regulinam extrahit ſubſtantiam, ſiquidem quaſi valde attenuatum tartarum emeticum liquidum vel antimonii ſolutionem efficit. Atque ita profecto acida vegetabilia vim ſuam in ferrum & cuprum exſerunt; quæ neque aqua pura neque ſpiritu puro afficiuntur, admodum prompte vero vino, vino pomaceo, limonum ſucco, ſimilibuſque diſſolvuntur.

Cæterum hoc me ad ſequentem obſervationem perducit; licet aqua ſimplex ex puro antimonii regulo nihil extrahat, aqua tamen pluvioſa & fluviorum aliquo modo in crudi antimonii corpus agit ac ex eo lacteum colorem, & ſulphureum antimonialem odorem & ſaporem diſſolvit, ſi cum eo moderato ſolis aut ignis calore digeritur. Atque hæc aquam ita refertam ac large potam in cutaneis aliiſque morbis magnam

plæ-

præſtitiſſe utilitatem, compertum fuit. Cum vero menſtruum hoc aquoſum procul dubio aliquid ex ſulphure antimoniali ſolvat, pari ratione ſimul aliquid ex partibus regulinis tenuioribus ſulphuri adhærentibus abripere poteſt; haud ſecus, ac fere omnes aquæ ſulphureæ naturales magis aut minus ex alio quodam minerali principio, & plures in primis earum aliquid ex marte continent. Atque porro, quicquid alii de antimonio crudo in ſubſtantia dato ſentiant, KUNCKELIUS, HOFFMANN & GEOFFROY, tamen, id in variis morbis maximam afferre utilitatem, aſſerunt; ego vero, mihi tantas adeſſe rationes, quantæ ſufficiant ut eorum ſententiæ ſubſcribam, exiſtimo. Quin multum utilitatis in variis equorum, animalium cicurium aliorumque morbis præſtat, vix dubitari poteſt, ideoque ſatis commode aſſumendum eſt, partes regulinas cum ſulphureis in ſanguinis maſſam intrare; atque pari ratione viam per vaſa lactea cæteraque corporis humani invenire ac valde ſalutares edere poſſe effectus. Per plures abhinc annos antimonium & mercurium vivum contrita in æthiopem antimonialem, ut a me dicitur, optimo cum ſucceſſu in variis caſibus, ſpeciatim in morbis cutaneis, glandulis ſcrophuloſis obſtructis, rheumatiſmis cæteriſque dedi, quando æthiops vulgaris minus deprehendebatur efficax. Quod medicamentum ut officinale paratum ſervetur, diu jam juſſi; id vero ex crudi antimonii in tenuiſſimum pulverem contriti partibus tribus; ex mercurii vivi puri partibus quatuor; ſulphuris florum partibus duabus paratur. Quæ in ſubtiliſſimum pulverem contrita a ſcrupulo ſemis uſque ad drachmas duas dari poſſunt.

Hic ſeſe mihi offert mentionem faciendi oc-

caſio, quod licet cinnabaris antimonii, methodo conſueta poſt butyrum antimonii ſublimata, parum ratione virtutis aut compoſitionis a vulgari factitia cinnabari differre videatur, cinnabaris tamen antimonii quæ nunc plerumque ex æthiope minerali & antimonio crudo inter ſe ſublimatis paratur, procul dubio aliquid non minus ex partibus ſulphureis quam regulinis ſecum abreptis habet; ſatis enim cognitum habent chemici, quam facile antimonii flores in conſueta uſtulatione, ubi ignis multo minor quam in cinnabaris ſublimatione, aſcendant. Nunc autem his floribus eſſe naturam regulinam, vomitum fortiter excitare atque facile in verum reduci poſſe regulum, cuilibet notum eſt. Sulphur quidem abundans eum in præparatione cinnabarina bene involvit: nihilominus largas cinnabaris antimonii doſes nauſeam & vomitum in primis in tenerioribus ventriculis excitaſſe, ſæpius obſervavi. Tunc vero, hanc ipſam ob rationem hæc antimonii cinnabaris quibuſdam in caſibus multo efficacior eſſe poteſt, quam vulgaris factitia aut ipſa cinnabaris nativa. Sed nunc in primis ad quaſdam obſervationes de variis antimonii præparationibus vulgaribus faciendas proprias accedo.

Antimonium vulgare vel crudum officinarum fuſoriarum ex ejus minera in vaſis conicis noſtris crucibulis fuſoriis ſimilibus eliquatum fuit, unde maſſa eliquata & frigefacta exemta aliquo modo ſacchari conum refert. Cum vero hac in fuſione ponderoſiores aut metallicæ partes in fundo ſubſideant, leviores in loco ſuperiore remaneant; hoc in antimonii regulo cæteriſque parandis alicujus momenti res eſt, qua de parte coni antimonium eligatur; nam quo propius a coni

apice

apice ſumitur, eo magis regulo abundat; atque ejuſmodi quantitatis datæ effectus, cæteris paribus, multo erit inſignior, quam ſi a baſi propius deſumatur. Pari modo hoc attendendum eſt, quando in ſubſtantia antimonium datur, aut coquitur vel infunditur ad potiones, quibus non ſine utilitate additur.

Antimonii partem regulinam magna ſulphuris quantitate involutam, ut in antimonio crudo, nullam emeticam vel draſticam vim exſerere, antea propoſui: quod ſi vero antimonium uſtulatione diu protracta aut calcinatione maxima ex parte ſulphure hoc externo privatur, eo magis qualitatem accipit emeticam, quo magis conſumitur ſulphur. Atque antimonium hoc in cineres redactum ut ita dicam, ſi majori ignis gradu ſubjicitur, & liqueſit in regulum atque porro quoque in vitri ſpeciem, ejus ſulphureo involucro adeo privatur, ut ſpicula regulina quaſi nuda appareant, ac violentiam in ventriculum exſerant maximam. Atque id antea, quam in proprium regulum aut vitrum mutatum fuit, poſt longam & convenientem uſtulationem non parvum vis emeticæ accipit gradum, ut cuilibet patebit, qui id in ſubſtantia vel convenientem in modum cum vino aut vino pomaceo digeſtum dabit. Quamquam enim cum BOERHAVIO dicere nequeo, id violentum eſſe emeticum, HOFFMANNUM tamen, qui id prorſus iners pronunciat, deceptum fuiſſe, bene novi. Quod antimonium in cineres redactum & adeo jam ſulphure ejus externo ope calcinationis privatum, magis ab eo liberatur, ſi per inſigne temporis ſpatium in admodum forti igne liquefactum retinetur & in vitrum convertitur; quod meris fere

par-

partibus conſtat regulinis, prouti ex ejus gravitate ſpecifica, antimonio crudo vel quoque ipſo hepate majore manifeſtum eſt; ac licet regulus ſub vitri forma lateat, is tamen ſemper ſatis facile in proprium reduci poteſt regulum, ideoque ut talis cum quolibet qualitatem emeticam communicat menſtruo, cui regulus ipſe illam impertiretur, cum non minus, quam ejus ſubſtantia, vomitorium ſit violentiſſimum. Quid? quod ſi in antimonii calcinati liquefactione in vitrum ignis non ſatis fortis eſt, ac bene dirigitur, ipſius maſſæ liquefactæ pars altera in regulum & altera in vitrum coit: adeo parva intercedit differentia.

Ipſe profecto antimonii regulus non, niſi externi ſulphuris deſtructione poteſt præparari: exempli gratia, antimonii crudi partes octo, tartari crudi partes ſex, & nitri puri partes tres in tenuem pulverem ſiccum redactæ uno tempore cochlearis parvi menſura in candens injici debent crucibulum, unde quamlibet injectionem mox excipit ingens deflagratio. In fundo maſſæ vehementiori igne liquefactæ interdum plus, interdum minus deprehenditur reguli; prouti ignis cæteraque fuerunt pertractata. Qua in re cautione opus eſt, ut in fuſionis principio filo ferreo vel ſimili re removeantur cruſtæ, ut ad formationem reddatur aptior. Hic ſulphuris antimonii externi maxima pars deflagratione conſumitur, ac tartarus & nitrum tali modo in alkali ignis ope mox converſa uniuntur cum ſulphure ſuperſtite & ita ſulphuris hepatis ſpeciem efficiunt, quæ pari modo ex regulina ſubſtantia plus ſolvit & abripit; (nam ſulphuris hepar cum aliqua metalli ſpecie liquefactum eam diſſolvit & maſ-

ſam

ſam in aqua ſolubilem efficit) ita ut hac procedendi methodo maxima antimonii & ſalium pars mutetur in ſcoriam aut croci antimonii ſpeciem in ſuperficie reguli, atque hoc in primis fieri ſolet, ſi fuſio diu continuatur. Tali ratione regulus inſignem in modum partibus ſuis ſulphureis privatus, admodum forte fit emeticum, ex cauſis ſupra allatis. Licet hæc ſit conſueta regulum ad minimum parva in quantitate comparandi methodus; attamen longe minorem reguli quantitatem ſiſtit, quam variis aliis procedendi methodis obtinetur; non enim ſolum violenta & repetita deflagratione plures ſulphureæ, ſed quoque regulinæ abſumuntur partes, quæ ſub forma flammæ, fumi & florum, ſi in propriis vaſis colliguntur, aſcendunt; atque hi facile iterum reduci poſſunt in regulum. Præter ea ſalium quantitas in comparatione nimia eſt. Nam poſtquam ea in alcali mutata & cum ſulphure unita fuerunt, plures regulinas abſumunt partes, ita ut, ſi ignis fortis diutius continuetur, parum admodum in fundo remaneat. Multo copioſior in comparatione obtineri potuiſſet regulus, ſi tartarus & nitrum antea fuſione mixta & in fluxum nigrum, ut dicitur, eſſent mutata. Aſt hoc quoque in caſu maſſa liquefacta, ut primum ea tenuior fluit, effundenda aut ab igne eſt removenda; alias non parva pars vi & duratione ignis abit evaporatione, unde ea propter in comparatione augentur ſcoriæ. Multo vero major reguli quantitas producitur, ſi duæ partes antimonii puri cum una parte limaturæ ferri vel clavorum fruſtulis liquefiunt, quibus quoque una nitri puriſſimi & ſicci pars injectione addenda eſt. Quæ procedendi methodus fere di-

mi-

midiam reguli partem præbet. Pari modo hic nitrum comburit ſulphur, ferrum vero imprimis ſulphur ſuſcipit & ſe cum eo in ſcoriis unit; quæ, in tranſitu ſit dictum, in pulverem tenuem redactæ cum tanto vel meliori effectu, quam antimonium martiale cacheticum LUDOVICI adhiberi poſſunt. Eas maximam in leucophlegmatia & fluore albo pertinaci præſtitiſſe utilitatem pluries ſum expertus.

Si quando antimonium prius igne in calcem redigitur, ac ſi vitrum comparare velimus, vel in aqua calcis vivæ ſaturata recenti pluries coquitur, maxima ſulphuris pars abſumitur atque antimonium ita præparatum multo majorem reguli quantitatem in comparatione præbet, quam ſi antimonium crudum liquefactum eſt; quo in caſu vero ſalium adhibitorum quantitas multo minor, quam in conſueta methodo eſſe debet, eaque antea in fluxum nigrum ſunt reducenda. Antimonium in calcem redactum atque fere cum æquali ſaponis nigri quantitate liquefactum multo plurem regulum, quam methodo KUNCKELII, STHALII vel alia paratum, præbet, ex libra una novem vel decem proveniunt unciæ: ego vero re ipſa hanc methodum nunquam tentavi, cum mihi verus ſapo niger non eſſet ad manus; fortaſſe quodlibet aliud ſalino ſulphureum remedium idem efficeret.

Nihilo minus hæc in genere tenenda eſt obſervatio, ubi tantum parva harum rerum quantitas in hoc aut aliis tentaminibus uno tempore liquefiunt, ſemper minorem reguli copiam in comparatione provenire, quam ſi experimentum multo largiore cum quantitate fuit captum;

Siqui-

Siquidem re vera maxima differentiæ pars ab ipſo dependet antimonio, cum aliud præ alio partibus regulinis abundet: Immo antimonium unius ejuſdemque coni hoc reſpectu vel a baſi vel ab apice ſumtum inſigniter differt.

Salium effectus in antimonium multo clarius apparebit, ſi ad nitri operationem in vulgaris antimonii hepatis præparatione attendimus. Scilicet ſi partes antimonii & nitri æquales in tenuem pulverem redactæ & intime mixtæ deflagrantur & in crucibulo aut mortario ferreo liquefiunt, ejus productum erit antimonii hepar, quod a ſcoriis eſt ſeparandum. Qua in agendi methodo primo ſulphur fere omne conflagratione comburitur: ac poſtea ejus reſiduum avide imbibitur a nitro, nunc in alcali ope intenſioris caloris converſo, quod, hac ratione regulinas partes diſſolvit & intimius cum eo conjungit, haud ſecus ac hepar ſulphuris vulgare diſſolvit ac aſſumit omnes metallorum ſpecies. Hoc præcipue a nitri mutatione in alcali ejuſque ſubſequente uninone cum ſulphure antimonii atque tali hepatis ſulphuris diſſolventis formatione, ut cum metallica antimonii parte conjungatur, dependere, evidenter apparet; ſalis enim tartari vel cinerum clavellatorum partes tres cum duobus antimonii liquefactæ, eundem accuratiſſime effectum, hoc eſt, hepar antimonii producunt, ſine ulla nitri admixtione vel adjumento. Atque ab intimiore adeo largæ partis ſulphuris hepatis cum metallica parte pendet, ut parum reguli vel nullus, ſed tantum ſubſtantia unius formæ ſemi vitrea in fundo ſubſideat: immo ſi non tantum, quantum ſufficit, liquefit, nullas præbet ſcorias. Interim ſi cineres clavellati & antimonium celeriter igne admodum

vivi-

vivido & forti liqueſiunt, reguli pars interdum major, interdum minor in fundo reperitur. Quodſi autem multo minor quantitas ſalis alcalini adhibetur, multo minor ſulphuris antimonii pars abſumitur, atque tali modo efficitur is, qui MARGRAAFIO, HOFFMANNO aliiſque dicitur regulus medicinalis, qui tantum parvam vim exſerit emeticam, cum ſatis ſulphuris ad ſpicula regulina involvenda fuerit relictum. Quando vero multo largior ſalis alcalini fixi quantitas (ut circiter duæ partes ad unam antimonii) cum eo fuſione commiſcetur, tantum ſulphuris ſalibus abſumitur, ut parum ad ſpicula regulina obducenda relinquatur, quod ſufficere poſſit ad ejus vim valde draſticam impediendam. Antimonii hepar methodo conſueta quantitate nitri æquali paratum, dupla parte plus fere in ejus operatione amittit deflagratione, quam id cum alcali fixo; hoc vero non adeo vitrea, & magis apta deprehenditur, ut aëris humiditate deliqueſcat. Nihilominus utriuſque crocus, ſi perfecte fuit edulcatus, eandem fere continet vim. Ille profecto, qui cum dimidia nitri quantitate paratur, inſignem in modum eſt debilior, cum multo minor ſulphuris involventis pars fuit abſumta, quando præcipue ignis fortis non adhibitus & materia antea eſt exemta, quam ſcoriæ ſatis ſeparatæ ſint. Reguli antimonii vulgaris ſcoriæ ipſæ non minus ejuſdem ſunt indolis, quam hepatis antimonii ſpecies, quæ proprio fluxu aliqua ex parte facile in regulum reduci poteſt: ita ut, ſi nitrum in alcali converſum, cineres clavellati, vel ſal tartari cum hoc minerali ſulphureo fuſione miſcentur, antimonii hepar producatur, ex quo bene abluto metal-

lorum

lorum vel magis proprie antimonii provenit crocus. Atque cum hæc maſſa hepatica in aqua fervente ſolvi poſſit, in ſolutione ſubſidet antimonii ſulphur, præcipue ſi cum acido vegetabili aut minerali præcipitatur: quod vero ſulphur ſemper plus aut minus particularum regulinarum continet, unde præcipue id primæ præcipitationis ſemper inſignem in modum eſt emeticum. Quid? quod partem antimonii regulinam & ſulphuream ita cum ſalibus alcali fixis uniri poſſe, ut tota fere antimonii quantitas cum æquali circiter ſalis tartari vel cinerum clavellatorum parte fuſione mixta ſic mutari queat in ſulphuris aurati, ut dicitur, ſpeciem; res eſt certiſſima; re vera autem hoc nihil eſt aliud, quam verus crocus antimonii ſulphureus. Nihilo ſecius ſalis, ſulphuris & reguli cohæſio in hoc hepatico concreto facile acidorum affuſione in ſolutionem ejus aqueam diſſolvi poteſt, quæ acida cum ſalia alcalina fortiter attrahant, partes ſulphureæ & regulinæ ſubito fundum petunt. Neque hæ admodum firmiter uniuntur, cum ſalia alcalina fuſione durante ſulphur antimonii aliquo modo a partibus regulinis ſeparent. Cohæſionem tantum laxam eſſe, manifeſtum eſt; alias tanta ſulphuris quantitas, quanta in ſulphure aurato deprehenditur, ſi intimius cum partibus regulinis eſſet conjuncta, ita ſpicula ejus obducere debuiſſet, ut vix ullam in tunicis ventriculi cæterorumque inteſtinorum efficere potuiſſet irritationem inſignem; prouti in antimonio crudo ejuſque ex ſulphure & regulo reductione videre eſt. Porro, licet prima ſulphuris aurati præcipitatio regulinis partibus inſigniter ſit referta, ſecunda tamen aut

tertia

tertia præcipitatio multo pauciores continet & fere tota ſulphurea & vix ullum in modum eſt emetica. Quod ſi vero hæc mitiora vel potius leve ſulphur habere cupias, non nimium acidi præcipitantis primum affundas; vel, quod melius erit, lixivium aut ſolutionem antimonii per aliquot dies aeri frigido liberiori exponas; ita enim ſulphur regulinum impurum ipſum fundum petet; quo facto acidum conſuetuo more inſtillare poteris; atque ſi hoc juſtis gradibus parvaque quantitate peragis, poſt ſecundam aut tertiam præcipitationem ſulphur fere purum ſubſidebit; quæ, ſulphur cum regulo in ſolutione hepatis non adeo firmiter unitum eſſe, demonſtrant: Interim, quod in tranſitu ſit dictum, cum antimoniale lixivium, ex hepate paratum adeo regulinis partibus abundet, ac hæ minus involutæ ſint, id conſtanter magis aut minus emeticum eſſe neceſſe eſt, quicquid etiam Dom. LEMERY in contrariam afferat partem. Aſt hoc non ſolum, quod in hujus viri tractatu de antimonio excipi poteſt.

Cum ſulphur auratum his temporibus in medicina frequentius adhibeatur, major in ejus præparatione attentio, quam plerumque fieri ſolet, neceſſaria eſſe videtur: prima enim præcipitatio certiſſime non parum differt a ſubſequente, cum ei & color obſcurior, & gravitas ſpecifica major indeque plures regulinæ ſint partes. Itaque alicujus momenti res eſt, quam diu lixivium antimoniale antea reponatur, quam acidum affundatur; illud ipſum enim tempore plus de ſubſtantia ſulphureos regulina dimittit; ſi id in primis in atmoſphæra fumo aceti, ſulphure aut ſimilibus repleta reponitur; ac tali in caſu ſuccedens præcipitatio cum acido multo mitior erit, cum non tam metallica,

quam

quam potius ſulphurea ſit. Sic quoque quantitas & qualitas acidi præcipitantis non carent effectu. Vini acetum magis augebit vim emeticam; & ſalis aut vitrioli ſpiritus præcipitatum præbet non adeo aptum ad commixtionem cum calomelano, ut in D. PLUMERS pilulis alterantibus cæteriſque. Igitur magna quoque cura in ſulphure aurato abluendo habenda eſt; nam ſalia acida non tam facile, ut nonnulli credunt, abluuntur, & procul dubio aliquid ex illis ſimul præcipitatur. Quis crederet, tantam ſalis quantitatem in calce argenti ex ſolutione quæ fortis ope ſalis marini præcipitata latere, quæ, licet perfecte abluta & prorſus inſipida ſit (qualis eſt luna cornea, in quam facile fuſione mutatur) tamen, ſi duæ partes cum una reguli antimonii parte intime miſcentur & deſtillantur, admodum cauſticam butyri antimonii præbent ſpeciem. Quam leve vero & parum antimonii ſulphur deſideratur, ſi id non aliquid ex regulo continet, haud majorem edere poteſt effectum quam ſulphur vulgare.

Kermes minerale olim tam celebre (idque jure) quam ullum aliud antimoniale nostris temporibus, eſt quoque hepatis antimonii ſpecies & ejuſdem ut ſulphur auratum naturæ, etſi præparandi modus valde differre videtur. Id paratur, dum antimonium crudum in pulverem contritum in forti lixivio nitri fixi aut in alcali converſi (ſal tartari vel cineres clavellati idem omnino præſtant) coquitur. Hic ſalia alcalina ſulphuri affixa cum eo uniuntur; unde hepatis ſulphuris liquida ſpecies, quæ diſſolvit, vel potius proprie ſuſcipit ſibique plures unit regulinas partes. Atque ita re ipſa id fit mitior quidam antimonii crocus, prouti evidenter apparet, cum aliqua ei inſit vis eme-

tica atque is regulum convenienti fuſione præbeat.

Kermes mineralis aut ſulphuris aurati ſpeciem præparandi alius deprehenditur modus, qui raro aut nunquam, licet optimum judicem, adhibetur; atque hic eſt, ut antimonium crudum in tenuem pulverem redactum in aqua calcis vivæ admodum forti per unam circiter horam coquatur & decoctum colatum tartari crudi aut ejus cryſtallorum in aquæ fervente ſolutione præcipitetur. Crudi antimonii decoctum hoc adeo limpidum eſt ut aqua fontana; repoſitione vero tenui obducitur cuticula pulcherrime omnibus ireos coloribus variegata. At enim vero liquor hic perfecte limpidus acidus alicujus vegetabilis aut mineralis affuſione mox turbatur & colore croci profundo tingitur ac magna ſulphuris antimonii pars, cui aurantiorum color eſt, præcipitatur, haud ſecus ac in vulgari decocti ſcoriarum ex regulo aut hepate antimonii fieri ſolet præcipitatione. Licet non minus hoc ſulphur auratum, quam aliud ſimile ſit alchemicorum auro, de quo tanta loquuntur & quod avide expectant adepti, color tamen ſpecioſior plura promittit, quam vere continet: quod ſi enim juſte abluitur, ſeparatur & ſiccatur, id vix quadrageſimam partem ab eo retinet, quod tempore præcipitationis habere videbatur. Sulphur hoc mitius & magis fixum eſſe, quam illud ex ſcoriis paratum exiſtimo: Nihilo minus id partibus regulinis abundat, prouti ex aurantiorum colore & qualitate emetica, qua præditum eſt, apparet. Decoctum hoc æque bene limonum aut aurantiorum hiſpanienſium ſucco, (quo ſpecioſiſſimum obtinetur præcipitatum), aut ſolutione ſalis ammoniaci, aut urina recenti

præ-

præcipitari poteſt: ipſa quoque ſaliva hoc præſtabit: nam cum ego hujus decocti perfecte limpidi cochlear unum ore tenerem, id mox colore tingebatur profunde luteo: ita ut non acida ſolum vegetabilia & mineralia, ſed & pari modo ſalia neutra decoctum hoc antimoniale præcipitent.

Decoctum hoc antimonii cum aqua calcis vivæ aliis quoque conſiliis inſervit; nam minerale hoc ita coctum magna ex parte ſulphure ejus ſuperficiali privatur, ſi in primis bis aut ter in aqua calcis vivæ recenti fortique coquitur. Atque tunc pulvis bene ablutus & ſiccus tam aptus eſt ad regulum vel vitrum antimonii efficiendum, quam ſi antimonium conſueta via uſtulatur & calcinatur. Atque fortaſſe antimonium ita præparatum variis in caſibus interne datum poteſt eſſe efficacius, quam crudum: ſi illud ad decem vel quindecim grana datur, ſæpius vomitum & alvum leniter, in primis in ejus uſus principio movet.

Inde ſulphur auratum, kermes minerale, de quibus jam ſupra diſputatum fuit, pulverem RUSSELII aut panaceam antimonii ſine igne WILSONII unius ejuſdemque indolis eſſe, apparet, licet profecto ratione virtutis aliquo modo differant & in eorum operatione ſint incerta; ideoque ad ea paranda manus cautæ & ad ea cum utilitate adhibenda judicium bonum requiruntur. In ſcoriis enim unius ejuſdemque reguli antimonii ſpeciei regulinum præ aliis dominabitur principium, ſi ea per longum temporis ſpatium in igne forti, quam ſi per multo brevius retinetur; nihil dicam de illis, quæ antea ratione modi præcipitandi, cæterorumque protuli. Atque kermes minerale ipſum non parum differt, prouti cum lixivio fortiori vel debiliori fuit paratum, prouti ma-

gis aut minus ſollicite fuit ablutum & edulcatum; & prouti tandem vini ſpiritus ſuper id vel fuit, vel non fuit deflagratus. Quicunque id dare velit parvis doſibus, ut uno aut duobus incipiat granis; quando vero, ea convenire, invenerit, doſin gradatim ad octo vel decem grana augere poteſt, ſi in primis id cum aliquo extracto reſinoſo, balſamo naturali aut ſimili re intime fuit commixtum. Aſt doſes nulla ratione nimis celeriter ſeſe excipiant: nam antimonialia ſolida per inſigne temporis ſpatium ſine ullo patente effectu in corpore hærere poſſunt, tandem vero omnia ſubito maxima cum violentia operantur; ſi præcipue vinum, vinum pomaceum, aut aliud quoddam acidum vegetabile ſuperbibatur.

Quamquam ſal commune cum antimonio liquefactum nihil fere magis quam ejus fuſionem promovere videtur, ideoque parva ejus quantitas in antimonii hepate & regulo medicinali parando additur, ejus tamen maxime concentratum acidum admodum peculiarem in ſubſtantiam regulinam edit effectum, cum eam non ſolum multo volatiliorem, ſed quoque maxime cauſticam reddat, prouti in butyro vel oleo antimonii vulgari videre eſt; in hac enim præparatione mercurius ſublimatus corroſivus nihil præter ejus acidum omni phlegmate privatum contribuit, quod fortius quam mercurium attrahit regulus; atque hæc unita liquidum maxime corroſivum deſtillatione proveniens efficiunt; ex quo ſimplicis aquæ affuſione id præcipitatur, quod valde improprie mercurius vitæ appellatur, cum ei nihil ex mercurio quam nomen ſit, atque re vera, ſi bene cum aqua fervida edulcatur, merus remanet antimonii regulus, prouti clare, ſi is liquefit, ap-

pa-

paret. Etſi variæ aliæ butyrum antimonii præparandi methodi (eæque minus periculoſæ) deprehenduntur; hæc tamen cum mercurio ſublimato corroſivo regulum quaſi nudum commonſtrat, quando præcipitatur ac ſulphur antimonii cum mercurio relinquitur, quæ facile in cinnabarin ſublimantur: ita ut hæc ſupra propoſitam doctrinam confirment; nam cum regulo antimonii ſatis puro & mercurio ſublimato corroſivo nulla præparari poteſt cinnabaris, cum regulo non plus ſulphuris ſit, quam ad ejus metallicam formam & conſtitutionem abſolute eſt neceſſarium.

Ego vero in praxi mercurio vitæ raro & quidem ante aliquot annos in quibuſdam caſibus maniacis uſus ſum: is ſemper ſe præbebat ut valde rude medicamentum & brevi mihi erat tædio. Quodſi quis tale quid adhibere cupiat, illi celeberrimi D. STAHL ſuaſerim præparationem; ſcilicet, antimonium butyro rectificato ſenſim ſenſimque atque parum uno tempore affundatur bonum vini alcohol, primum calor in mixtura oritur inſignis, mox ea redditur lactea, atque admodum alba quædam gelatinoſa maſſa ſubito præcipitatur. Quæ per unum aut alterum diem in leni calore digeſta, cum aqua poſtea fervente ſatis edulcata ſiccata & cum vini ſpiritu deflagrata pulverem in operatione mercurio vitæ vulgari multo tutiorem, licet ſemper emeticum &, ut vir iſte ait, valde ſudoriferum & anodynum præbet. Doſis ejus eſt tria vel quatuor grana. Eum ſudorem largiter promovere expertus ſum, ſi præcipue parum per vomitum aut alvum operatur, ut profecto plurima draſticorum antimonialium efficere ſolent. Mercurii vitæ aliam præparationem inſcriptione purgantis ex antimonio ſecuriſſimi ſua-

det MAETS; quod paratur, ſi mercurii vitæ una pars cum duabus nitri partibus fuſione miſcetur atque tunc maſſa hæc cum æquali ſalis communis quantitate bene conteritur. Quo facto ſal bene abluendum & maſſa probe edulcanda eſt. Quod ſane adeo tutum deprehendo medicamentum, ut virtute parum a vulgari bezoar minerali differat; unicuique, qui ſequentem conſiderat obſervationem, facile apparebit ratio.

Antimonium diaphoreticum & ceruſſa antimonii non multo plus quam hujus metalli ſunt mortui cineres interno aut metallizante, ut ita loquar, ſulphure repetita cum nitro deflagratione privati; ita ut parum ab eis expectandum eſſe in uſu medico, credam, cum utrumque ſit calx iners, in qua contextus & forma regulina prorſus ſunt deſtructa; ita ut aqua regia, quæ tam facile antimonium crudum aut ejus regulum afficit, ea non tangat, multo minus diſſolvat: quod, naturam antimonii metallicam in his præparationibus maxime eſſe deſtructam, argumento eſt. Atque licet utrumque proprio fluxu iterum in regulum reduci poſſit, hoc tamen nunquam ſine alicujus phlogiſti aut ſulphureæ ſubſtantiæ additione fieri poteſt. Atque ſic profecto quælibet antimonii calx humida aut ſicca via parata fuſione cum aliqua inflammabili re in vaſis clauſis mutari poteſt in regulum quod, reguli & formam & virtutem maxima ex parte non minus a ſulphureo principio, quam a terra metallica pendere, oſtendit. Num hic in tranſitu annotatum ſit dignum neſcio, calcem antimonii cum ſulphure minerali reductam formam aſſumere ſtriatam; cum animali vero vel vegetabili phlogiſto reductam reguli antimonii vulgaris formam laminatam monſtrare.

An

An hoc tantum ab acido dependet vitriolico? Mercurius vitæ per ſe liquefactus aculeatam quoque vel acubus ſimilem refert ſpeciem: unde?

Pari ratione hic caſus re ipſa in perfectiſſimis corporibus metallicis occurrit, quæ ſuam metallitatem, ut eam nominat BECHER, ut malleabilitatem aliaſque metallicas proprietates plenaria ſulphuris interni metallici aut componentis deſtructione amittunt, prouti videre eſt, ſi metalla ope lentis cauſticæ aut igne culinari intenſiore calcinantur: ſulphur hoc internum probabiliter id eſt, quod ALBERTUS MAGNUS per humidum unctuoſum ſubtile intelligit, quod, ut is ait, eſt prima metallorum materia, & ſulphuri componenti aut oleo vegetabili omnino analoga, quod ipſas ſtaminum particulas & partes organicas conjungit, & quod prorſus combuſtum totam maſſam in cineres converſam relinquit. Hic autem, quod in tranſitu ſit dictum, clare ſatis apparet, pabulum illud ſulphureum ita ad calcis antimonii reductionem neceſſarium admodum ab ipſa luminis aut ignis ſubſtantia differre: licet enim magna luminis agentis aut ignis pars calci adhæreat, prouti a magno ponderis augmento in regulo antimonii radiis ſolis vel igne culinari calcinato manifeſtum eſt, nihil tamen ad ejus ſtatum contribuit metallicum; e contrario plenarie illud deſtruit; atque radii ſolis aut ignis particulæ non conjungunt, ſed diſpergunt regulinas aut metallicas partes, cum conjunctionis vinculum ſulphur internum deſtruant. Pari modo oleum vitrioli vel ſpiritus nitri, duo concentrata & maxime ignea acida regulum ex antimonio extrahunt idque in calcem mutant, cum phlogiſton aut principium ſulphureum ſolvant, unde metallica ſubſtantia

prorſus turbatur. Atque hoc ita evenire, ex odore forte ſulphureo, qui acidorum ad antimonium affuſione oritur, apparere videtur. Oleum profecto vitrioli inflammabilem partem antimonii attrahit, ſeque cum ea in verum ſulphur minerale unit. Itaque ignea hæc acida fere eadem ratione ac radii ſolis aut ipſe ignis vim ſuam exſerere videntur in antimonium; ac hoc præter plura alia eſt argumento, magnam inter lucem & acida eſſe affinitatem; quod D. ISAACUS NEWTON jam dudum demonſtravit.

Regulinæ ſubſtantiæ ſulphuris interni deſtructionem hac in calcinatione formæ regulinæ indeque vis antimonii emeticæ eſſe deſtructionem; aliqua ex parte ex eis, quæ ſupra propoſui, apparet, ac magis, ſi noſtram attentionem ad ſequentia vertere volumus experimenta, patebit. Quod ſi tantum æquales antimonii & nitri partes deflagrantur & fuſione miſcentur, ſolum ſulphur externum involvens in tantum abſumitur, ut ſpicula regulina relinquantur nuda, quæ admodum fortiter tunicas ventriculi cæteraque irritare poſſunt. Quodſi vero tres nitri partes ad unam antimonii adduntur, per repetitam fortem deflagrationem non ſulphur ſolum externum, ſed internum quoque prorſus diſſipatur ac in calcem inertem redigitur maſſa. Pari ratione ferrum, ſtannum, cuprum cum dupla aut tripla nitri quantitate in cineres rediguntur atque metallica natura privantur. Nitri puri non multo plus quam duæ partes ad unam reguli antimonii hunc in calcem innoxiam mutat, cum in regulo multo minor ſulphuris quantitas quam in crudo antimonio ſit comburenda: atque æqualis circiter nitri quantitas vitri antimonii violentiam prorſus deſtruit, cum

in

in eo ſolummodo tantùm ſulphuris ſupereſſet, quantum ad regulinam naturam conſervandam ſufficiebat. Sic nitri quinque partes ad duas mercurii vitæ additæ, eum in ſubſtantiam inertem vel bezoardicum minerale convertunt. Sed de his hæc ſufficiant. — Quicquid nitrum deflagratione efficit, illud lens cauſtica intenſa vi radiorum ſolis concentratorum præſtat; qua antimonium, ejus regulus & vitrum in meram mutantur calcem, quoniam omne ſulphur prorſus fuit combuſtum. Quid? quod ſi ullum horum per longum temporis ſpatium actioni ignis fortis vulgaris exponitur, id in meras redigitur cineres, quæ nunquam iterum in regulum aut vitrum, quam ope alicujus phlogiſti, ut ſulphure animali, vegetabili aut minerali reduci poſſunt. Atque hoc quoque ad ferri, ſtanni, cupri cæteraſque calces reducendas requiritur. Nullum in ulla antimonii calce, ita parata remanere ſulphur, ex eo manifeſtum eſt, quod nulla cum nitro deflagrabit neque in ſtatum regulinum ſine addito aliquo phlogiſto reduci poteſt. Regulinam naturam ac contextum his in præparationibus deſtructa eſſe, ex eo patet, quod eas nulla ratione afficiat aqua regia, quæ omnem antimonii regulum adeo perfecte & facile diſſolvit: indeque eæ omni emetica qualitate ſunt privatæ.

In omnibus vero his calcinationibus cum nitro, tres ad minimum hujus ſalis partes ad unam crudi antimonii adhiberi debent, alias ſulphur internum non tantum, quantum ſufficit, comburitur, & ſpicula regulina ita haud deſtruuntur, ut iners calx remaneat; quod ſi enim duæ tantum nitri partes adhibentur, id ſemper vim retinet emeticam, prouti in eo, quod antimonium emeticum mitius appellat BOERHAAVIUS, vi-

dere

dere eſt: pari modo hoc fieri ſolet, ſi nitro in ceruſſæ antimonii præparatione inſigniter parcas, quæ quoque valde remanebit draſtica. Quod ſi æqualis nitri & vitri antimonii quantitas in crucibulo candente per aliquod temporis ſpatium igni forti exponuntur, calx quidem pulcherrima aut antimonium diaphoreticum, ſed prorſus iners provenit: ſi vero nitri tertia pars bis, vel tantum dimidia adhibetur, calx non adeo alba fit (quoniam ſulphur non prorſus fuit combuſtum); indeque ſemper remanet emetica, ſi in primis tantum dimidia pars nitri cum antimonio injecta fuit.

Hac methodo variæ pulverum antimonialium parari poſſunt ſpecies, magis aut minus efficaces, prouti plus aut minus nitri fuit adhibitum; quæ caute parata & prudenter data inſignem præſtare poſſunt utilitatem in medicina, multo profecto majore cum ſecuritate quam antimonium diaphoreticum aut ejus ceruſſa.

Quibus omnibus vero in calcinationibus non nitri ſolum quantitas, ſed & ejus qualitas bene conſideranda eſt; quoddam enim nitrum ſale communi inſigniter abundat indeque minus corrigit, ut dicitur, vel potius deſtruit regulum.

Ego vero vitri, reguli aut croci antimonii infuſionem cum vino bono generoſo omnibus aliis hujus mineralis præparationibus longe præfero, cum ſit tutiſſima, certiſſima ac efficaciſſima; atque vinum hoc antimoniatum cum vitro aut regulo paratum optimum eſſe, exiſtimo: niſi enim hepar antimonii cum juſta nitri quantitate & conveniente ignis gradu præparatur, aliter fieri nequit, quin interdum fortius, interdum debilius ſit & interdum non ſeparandas emittat ſcorias; quibus id, cæteris paribus, multo efficitur debilius.

Porro

Porro hepar in tenuem pulverem eſt redigendum atque repetita ablutione in aqua fervente (vel potius decoctione) edulcandum; alias plus nitri in alcali converſi croco hepatico adhærens vim menſtrui vinoſi infringet. Hoc olim minus, quam fieri debuiſſet, attendebatur; atque, quantum vinum benedictum, ut tunc appellabatur, inter ſe differret bene recordor. Profecto, ſi cum vitro antimonii bono vel cum regulo puro paratur, iſta non adeſt incertitudo. Quodſi regulus adhibetur martialis, aliquo modo ferruginei principii fieri poteſt particeps. Vinum poſt ſufficientem infuſionem ſemper eſt colandum.

In hac infuſione vitri, vel reguli antimonii cum vino regulina ſubſtantia ſaponaceo hoc, ſpirituoſo, tartareo menſtruo diſſolvitur & regulina pars quam maxime attenuatur; alias ea cum vino per ſacculum colatorium non tranſiret, in vino ſoluta atque cum eo intime commixta per plures annos remaneret. Ita ut antimonium tali modo paratum quaſi in ſolutis principiis nobis offeratur; vel potius ſic tartari emetici liquidi maxime attenuati efficitur ſpecies, cui omnis antimonii eſt vis & virtus, cum ventriculo & inteſtinis admodum fortem inferre irritationem valeat, ſi unciæ unius aut duarum ſumitur quantitas; at enim vero doſis parcior duarum aut trium drachmarum tantum nauſeam, lenem vomitum, ac unam aut alteram alvi dejectionem, niſi quoque ſudorem aut valde auctam perſpirationem excitat: a triginta vero ad ſexaginta vel octoginta guttulas datum, generatim merum fit alterans & diaphoreticum, quod per intimos receſſus & ultimos totius ſyſtematis vaſculoſi ramos cum parva vel nulla naturæ perturbatione tranſit, ſimul tamen omnes animales

ſecre-

ſecretiones & excretiones, ſpeciatim cutis, inteſtinorum, viarum urinariarum, ductuumque ſalivalium leni totius nervorum & vaſculorum compagis irritatione evidenter promovet.

Itaque cum vinum hoc antimoniale adeo facile cum ſanguine & animalibus humoribus miſceatur & per omnia corporis emiſſaria tam libere & tam facile tranſeat, iſtud cum ſecuritate dari & cum utilitates bis, ter, aut quoque quater in viginti quatuor horis parva doſi repeti & ita per aliquot dies continuari poteſt: cum e contrario præparationes antimonii ſolidæ in earum operatione ſint incertæ, utpote quæ interdum per longum temporis ſpatium in ventriculo & inteſtinis hæreant, antea quam evidentem exſerant effectum; & tunc uno impetu eo majore violentia & pertinacia irritent, ut haud raro ægroti vires citius quam antimonii vis exhauriantur. Atque hoc non parum eſt timendum & interdum vere accidit, ſi kermes minerale, ſulphur auratum, crocus antimonii mitior & ipſe regulus medicinalis aliique pulveres antimoniales aut pilulæ dantur & nimis cito & frequenter repetuntur, ut cuilibet, qui tali medicamentorum genere liberius eſt uſus, notum eſſe debet; interdum hypercatharſis uno impetu nec opinatum accedit, ſi in primis vinum, vinum pomaceum aut aliud acidum vegetabile bibitur.

Porro, antimonialia in ſubſtantia data, antea iu ventriculo ſolvi debent, quam per vaſa lactea tranſire & cum ſanguine miſceri poſſunt, ita ut æque ac alterantia, diaphoretica cæteraque agant. In hac vero præparatione liquida pars regulina jam diſſoluta & exquiſitiſſime attenuata eſt, ita ut maxima cum facilitate ad ſanguinem tranſeant.

Præ-

Præter ea antimonium hac in forma jucundiſſima ratione, ſine eo ut percipiatur aut major aliqua creetur nauſea, quam quæ vino excitatur, dari poſſe, annotandum venit. Res profecto ſingularis momenti, ſi ægroti nobis obveniunt delicatuli & in primis infantes, quibus ut repetitæ medicamentorum exhibeantur doſes, ſæpius neceſſe eſt. Itaque id hujus præparationis præſtantiam non parum profecto auget, quod adeo ſit jucunda & haud difficile celari & quocunque in liquore convenienti dari poſſit; idque, inquam, non minus in hominibus adultis, quam in infantibus. Haud raro vomere & purgare eos quam maxime poſtulatur, nihilo minus res eſt difficillima, eis vulgaria medicamenta tali occaſione conſueta exhibere; cum e contrario vinum antimoniale in eorum potu ordinario maxima cum utilitate & ſecuritate dari poſſit. Ego id admodum frequenter cum ſucceſſu a decem uſque ad quadraginta guttas infantibus unius aut duorum annorum in tuſſi vehementiſſima & oppreſſionibus aſthmaticis dedi, quando tentamen plura medicamenta nauſeoſa ingurgitandi ſuffocationem & convulſiones minitabatur.

Num ergo credendum, hoc medicamentum adeo tutum & mite non tanta efficacitate, quanta alterans & diaphoreticum, eſſe præditum; ad quæ reſpondeo, cum hoc convenienti doſi datum ventriculum & inteſtina adeo fortiter irritare valeat; id minori doſi exhibitum in arteriis ſanguiferis & lymphaticis inefficax hærere, aſſumendum non eſt, atque utrumque quam aptiſſimum eſſe videtur, & in eventu aptum eſt ad totum vaſorum ſyſtema ſtimulandum purgandumque. Hæc ea confirmant, quæ nobis occurrunt, ſi ſa-

tis

tis larga antimonii eſſentiæ doſis, exempli gratia tres vel quatuor drachmæ dantur, ſiquidem fere ſemper largus ſubſequitur ſudor, niſi mox vomitu rejiciatur. Itaque ſi ea remanet & in motum venit, vaſorum actio in fluida contenta & tota humorum circulatio efficaciſſime promovetur; atque talis profecto ſtimulus in ultimis ſanguiferarum, ſeroſarum & lymphaticarum arteriarum ramis, ubi motus naturaliter maxime lentus eſt, & ubi ſtagnationes ac hanc excipientes ſeri & lymphæ corruptiones quam aptiſſimæ ſunt ad putridam colluviem progignendam, ſæpiſſime maxime eſt neceſſarius. Salium omnis generis, ſpeciatim ſalis communis utilitatem quandam in eo conſiſtere exiſtimo, ut æque ac ſtimulus agat generalis; indeque uſus ejus moderatus adeo eſt ſalutaris. Itaque tali univerſali non ſolum maximorum, ſed quoque minutiſſimorum corporis vaſorum ſtimulo medicamentum hoc omnes jam effictas, vel incipientes obſtructiones in minutiſſimis quoque canalibus removere molitur; indeque naturales ſecretiones & excretiones optimo cum ſucceſſu promovet; in quibus rite procedentibus ſanitatis ipſius verſatur cardo.

Igitur in rheumatiſmis obſtinatis, in frigidis ſcorbuticis affectionibus, in plurimis morbis cutaneis, in aſthmaticis, leucophlegmaticis & ictericis ægritudinibus, inveterata pertinaci cephalalgia, vertigine, epilepſia, & mania antimonialia & in primis vinum antimoniale quam maxime conveniunt. Cujus utilitatis plura his in caſibus exempla mihi in praxi mea occurrerunt, atque id a variis egregiis & in medicina exercitatis viris cum utilitate fuiſſe adhibitum, ſimul ſum gaudio affectus.

Antea

Antea quam hanc rem mittam, porro mihi addere liceat, me vinum hoc antimoniale aut antimonii eſſentiam, ut eam nuncupo, non minus in quibuſdam acutis, quam chronicis morbis, & præcipue in febribus lentis, inordinatis debilibus intermittentibus & remittentibus, catarrhalibus febribus, in peripneumonia notha, immo quoque in peripneumonia vera poſt convenientes evacuationes, verſus finem, quando exſcreatio præmature ſuppreſſa & magna anxietas & ſpirandi difficultas fuerunt excitatæ, admodum frequenter exhibere. In pari rerum circumſtantia iſtud quoque convenit in variolis; atque Deo juvante in quibuſdam caſibus deſperatis admodum feliciter ſucceſſiſſe, mihi videre contigit; cum interdum exſcreatio cum leni vomitu, interdum cum una alteraque alvi dejectione & interdum miti ſudore univerſali rediret. Talibus in caſibus olim miro cum ſucceſſu exhibebatur kermes minerale, & quod fere eadem ratione operabatur: nihilominus antimonii eſſentiam multo tutiorem certioremque eſſe, compertum habeo; licet hic pulvis triginta circiter vel quadraginta abhinc annis in Gallia & Germania idque jure, ſi convenienti tempore & doſi datur, fama ſit celebratus; præmaturus tamen & imprudens ejus uſus cito eum infamem fecit. Atque hoc plerumque omnibus medicamentis evenit empyricis; quæ omnibus in caſibus & omnibus temporibus ut bona jactantur; quamquam enim re ipſa ea per ſe, dum convenienti ratione adminiſtrantur, bona eſſe poſſunt, eorum tamen uſus promiſcuus & imprudens ſæpius ex antidotis efficit venena; prouti re ipſa nonnullis aliis recentibus evenit arcanis.

Deni-

Denique has hic prolatas obſervationes omnino novas eſſe, ut aliquis putet, non poſtulo; maximam earum partem vulgo eſſe cognitam concedo, atque ut tales eas propoſui, ſine eo, ut peculiares proferrem ſcriptores aut largos proceſſus deſcriberem, de quibus conſueti rerum chemicarum libri conſuli poſſunt; ſiquidem bene cognitum habebam, varias alias largiorem copiam præparandi eſſe vias, multo commodiores neque adeo ſumtuoſas, ubi nitro cæteriſque parcatur. Ego vero, niſi me omnia fallunt, aliqua ratione antimonii naturam in lucem protuli novam; ad minimum id junioribus, quorum officium eſt, ut antimonialia præparent & exhibeant, magis redditi cognitum, quam fortaſſe ullo alio in tractatu occurrit. Atque cum antimonialia medicamenta noſtris temporibus adeo fama celebrata ſint, ut hic libellus medicinæ cultoribus tradatur, res non adeo abſona eſſe videtur; fortaſſe quoque magis experti viri eo incitari poterunt, ut antimonialium virtutes ac doſes & meliores & certiores efficiant, quæ adhuc non parum incertæ deprehenduntur.

Porro quoque in his componendis mihi iſtud erat conſilium, ut uſum illius, quod ego eſſentiam antimonii, aut vinum antimoniale appello, (aromata enim in eo non magni ſunt momenti) ut tutiſſimam & utiliſſimam antimonii præparationem commendem. Multis variiſque medicamentis antimonialibus per triginta circiter annos uſus ſum; atque mihi ſufficienti experientia edocto fatendum eſt, me illud omnibus aliis præferre, licet tantum abſit, ut omnes ſolidas antimonii præparationes improbem; ego vero, nullam hac majorem aut meliorem in medi-

medicina edere effectum, atque paucas vel nullam cum pari ſecuritate dari poſſe, aſſero. Quarum de plurimis me cum CELSO dicere poſſe, exiſtimo: *his varie medici utuntur, ut magis, quid quiſque perſuaſerit ſibi, appareat, quam quid evidenter compererit.*

Aſt præter hæc omnia neque hoc neque aliud medicamentum aut præparatio morbo medebitur, niſi eis prudenter utamur. Homo aliquis tam perfecte ſcire poterit, quo modo ſecuris, malleus aut ſerra efficiatur, quam chemicus, qua ratione hoc vel illud peculiare paretur medicamentum; nihilo ſecius & ille minime bonus eſſe poteſt faber lignarius, & hic minime bonus medicus: arcanum in eo poſitum eſt, quomodo illa adhibeantur.

FINIS.

INDEX
RERUM & AUCTORUM,

A

ASclepiades. Pag. 11. 104. 214
Avicenna. 125
Acida mineralia & vegetabilia non valde utilia in variolis cryſtallinis. 126
—— valde ſalutaria in variolis nigris cum petechiis. 126
Aceti vapor in peripneumoniis malignis utilis. 169
Aretæus. 171. 177. 181. 197. 198. 203. 204. 275
Albertus Magnus. 343
Aqua Benedicta Rulandi. 190
Andry's. 238
Aetius Amidenus. 275
Anginæ malignæ deſcriptio. 282
Angina maligna quomodo curanda. 294
—— in quo differat a febre anginoſa. 299
Antimonium quibus particulis conſtet. 317
—— purum differt ab arſenico. 318
—— abſque ſulphure corpus metallicum, aut antimonium eſſe deſinit. 321. 322

B

BOerhaavius. 1. 26. 47. 317. 329. 345
Balnea in febribus utilia. 12
Balneorum frigidorum effectus. 25. 26
Bolum in febre lenta nervoſa. 71
Bilis in quibus febribus præ aliis dominetur. 95
Baglivius. 100. 129. 154. 163. 166. 168. 172. 241.
Bellinus. 100
Bornett. 317
Becher. 343

Cel-

C

CElſus. 12. 20. 29. 31. 32. 58. 68. 73. 133. 141. 165. 209
Cortex Peruvianus quando parum proſit. 22
Corticis Peruviani quando uſus neceſſarius. 45
—— præparatio peculiaris. 103
—— utilitas in variolis. 127
—— tinctura utilis in angina maligna. 295
Chirac (*D.*). 93
Clyſmata in variolis utilia, & quando. 130. 131. 135
—— emollientia utilia in peripneumonia. 181
—— cur proſint in pleuritide. 209
Camphoræ utilitas. 101
Cataplaſmata emollientia pedibus applicanda in variolis. 114. 129
—— acria applicanda parotidibus in angina maligna. 296
Caffée potus convenit in quadam variolarum ſpecie. 123
—— in peripneumonia catharrali. 175
Cœlius Aurelianus. 145
Cucurbitularum utilitas in peripneumonia. 164
Calculus in urethra. 257
Criſis in angina maligna quando accidere ſoleat. 289
Charras. 317

D

DIſſolventia ſanguinem. 39
Diarrhœa quando ſalutaris. 98
Dolor aliquando perdurat poſt peripneumoniam. 163
Dolores improprie vocati Pleuritici qui? 203
Delirium ſymptoma mortiferum in quadam variolarum ſpecie. 242
Dies præcipue obſervandi in variolis. 128

E

EFfectus pravi a nimia fibrarum laxitate. 27
Evacuatio boni ominis in lenta nervoſa febre quæ? 74
Emeticum quando neceſſarium. 92
—— quando conveniat in variolis. 119. 120
—— quando, & qua cautione dandum in peripneumoniis. 169
—— utile in peripneumonia notha. 190
Excreatio mala in peripneumonia, & pleuroperipneumonia quæ? 160. 178
—— peſſima in peripneumonia quæ? 175

Ery-

Eryſipelas pulmonum cujus indolis morbus ſit. 199
Eruptio cutanea ingens, & temporaria in angina maligna bona. 288
Emetica qualitas antimonii reguli æ ſubſtantiæ ineſt. 326
Æthiopis Antimonialis preparatio. 327

F

Febris ſimplex quæ? 2.
—— lenta nervoſa quando, & a quibus excitetur. 13
—— ardentis vel inflammatoriæ ſymptomata. 29
Febres lentæ nervoſæ, & putridæ malignæ in quibus differant. 61
Fomenta nimis calida non applicanda in peripneumonia. 168
—— neceſſaria in pleuritide. 210
—— in variolis utilia. 243
Freindius. 244
Fothergill. 275

G

Galenus. 4. 159. 213. 304
Gargariſmata in variolis exhibenda. 133
—— in angina maligna quæ optima? 296
Geoffroy. 317. 318. 320. 327

H

Hippocrates. 12. 31. 68. 94. 132. 140. 159. 163. 166. 167. 169. 171. 172. 174. 175. 178. 179. 180. 181. 194. 198. 199. 202. 203. 204. 209. 210
Hoffmannus. 94. 196. 198. 317. 327. 329. 334
Hæmorrhagiis qui ſint obnoxii. 35
Hæmorrhagiæ quibus de cauſis etiam accidant. 36
Hiſtoria morbi. 40
—— —— —— 44
—— —— —— 45
—— —— —— 52
—— —— —— 57
—— —— —— 58
—— —— —— 83
—— —— —— 205
—— —— —— 212
—— —— —— 248
—— —— —— 309
Hæmoptyſes non oriuntur ſolum a vaſorum ruptura. 159
Hales (D.). 158
Hartmannus. 320
Heinſius. 102

Helmontius. 213. 217
Hollerius. 214
Homberg (*D*). 323
Horſtius (*Gregor.*). 226

I

INteſtinum cæcum in pelvim dilapſum, & recto annexum. 263

K

K*Eilius*. 137
Kermes mineralis cur aliquando utilis. 190
Kermetis mineralis altera preparatio. 338
Kunckelius. 327. 332

L

L*Ancisius*. 154. 238
Langrish (*D.*). 38. 61
Lemery (*D.*). 336
Liſterus. 237
Lauri aquæ effectus. 38

M

M*Aningham* (*D.*). 78
Mead (*D.*). 90. 127
Medicamentorum diluentium neceſſitas. 11
Medicamentum Dominæ Stephens noxium. 40
Methodus curandi Tertianas, & Tertianas Duplicatas. 19
Methodicorum Doctrina utilis. 26
Morton (*D.*). 45. 107. 128. 244. 275. 300
Medicamenta utilia in febribus lentis nervoſis. 69
—— calidiora quando requirantur in variolis. 122
—— utilia in peripneumonia notha. 194
Monrò (*Prof.*). 127
Mel optimum diſſolvens. 127
Mery. 196
Maſſa ſpongioſa carnis pro umbilico. 219
Mercurialia aliquande proſunt in variolis. 236
Medulla dorſalis ad ultimam tantum lumborum vertebram continuata. 260
Maets. 317. 342
Metallorum differentia a quo pendeat. 323
Margraaſius. 334

N

N*Evvton* (*Iſacus*). 344
Nicholl. (*D.*). 38

O

OLeum vitrioli, vel ſpiritus nitri antimonium in calcem mutant. 343
Omentum ingens ſebi maſſæ ſimile. 225

con-

— conſumptum. 262
Opiata quando indicentur, & quomodo exhibenda in variolis. 123 131

P

PRocatharticæ cauſæ febrium intermittentium. 15
Plethora quid afficiat. 32
Potio ſalina utilis in febre lenta nervoſa. 72
Peripneumoniæ ſpecies variæ. 146
Purgantia juvant in peripneumonia catarrhali. 174
— in febre variolarum ſecundaria conveniunt. 144
— in angina maligna non conveniunt. 290
— lenia in fine anginæ malignæ utilia. 297
Peripneumonia notha quos invadat, & quando. 185
— a quibus cauſis procedat. 185
— non liberales requirit venæ ſectiones. 189
Pleuroperipneumonia in quo proprie conſiſtat. 197
Pruritus in variolis malum eſt ſymptoma. 233
Puſtulæ miliares cum variolis conjunctæ. 233
Polypi plurimi cordis. 266
Pringle (*D.*). 304
Plumers (*D.*). 337

Q

QUæ febres anomalas reddant periculoſas. 21
Qualitas, & quantitas variolarum ab humorum, & ſanguinis indole procedit. 169
Queſnoy. 304

R

REgulina ſubſtantia eſſentiam antimonii efficit. 317
Rhazes. 116
Ruyſchius. 158

S

SUdor quando ſit criticus. 8
— profuſus in febrium principio cur malus. 8.
Sudores quando ſint boni vel mali. 98
— quando ſalutares in angina maligna. 295
Sanitas in quo conſiſtat. 23
Signa incipientis putredinis. 35
Symptomata febris len-

tæ nervoſæ. 63
—— febris putridæ malignæ petechialis. 79
Symptoma mortale in pleuritide. 197
Sydenhamii methodus paululum reprobatur. 85
Sydenham (D.). 88. 107. 133. 184. 187. 189. 193. 234. 300
Sanctorius. 149
Sternutatio mala in peripneumoniis. 224
Saliva viridiſſima. 228
—— cur? 230
Salivæ color flavus a quibus producatur. 231
Seymour (D.). 240
Sthalius. 342. 341
Sulphur auratum quomodo caute præparandum. 336

T

TUlpius. 259. 260
Tumores ad inferiora utiles in morbis pectoris. 182
Timoni. 90
Trallianus (Alex.). 164

V

VEnæ ſectio a quibus determinari debeat. 5. 162
—— quando non indicetur. 86
—— quando utilis in variolis. 113
—— quando omittenda in variolis. 118
—— quando neceſſaria in variolis. 132
—— quando repetenda in peripneumonia. 149. 151. 162. 172
—— non convenit in angina maligna. 290
Veſicatoria quando non conveniant. 9
—— quando applicanda. 100
—— quando proſint in variolis. 117. 118. 125
—— applicanda in peripneumonia catarrhali. 174
—— utilia in peripneumonia notha. 192
Venæ ſectione quando abſtinendum in peripneumonia, & pleuroperipneumonia. 157
Vinum optimum cardiacum. 104
—— Antimoniale in quibus morbis efficaciſſimum. 305. 351
—— Benedictum laudatur. 191
—— Pomaceum optimum antiſcorbuticum. 271
Vini Antimonii præparatio. 313
Variolæ cum febre inflammatoria. 106
—— cum febre lenta ner-

nervoſa. 106
—— cum febre maligna & petechiali. 107
—— differunt pro diverſa aeris conſtitutione. 120
—— cryſtallinæ aut lymphaticæ. 122
—— abſque ſalivatione & diarrhœa. 234. 238
Ventorum frigidorum ſiccorum effectus in corpus humanum. 141
Urina cruenta fatale ſymptoma in variolis. 127
—— quæ bona in morbis pectoris. 180
—— per umbilicum redita. 220
Valentinus (*Baſil.*). 317

W

Walter (*D.*). 39
Vvall (*D.*). 127

FINIS.